


25.0. 6.30.



B - 9956

EXEMPLARIA literarum quibus &


CHRISTIANISSIMVS GALLIA-
rum Rex Frāciscus, ab aduersariorum male-
dictis defenditur: & controuersiarū causæ, ex
quibus bella hodiē inter ipsum & Carolum
quintū Imperatorem emerserunt, explicātur:
vnde ab vtro potius stet ius æquumque, le-
ctor prudens perfacile deprehendet. Quarum
catalogum, sequens pagella indicabit.



P A R I S I S.
EX OFFICINA ROB. STEPHANI.
M. D. XXXVII.

Cū priuilegio Regis.

Del collegio de S. Hieronemis C. d.



EPISTOLA Christianissimi Regis ad quosdam Germaniae principes atque alias ordines Schmalkaldiæ congregatos.

Apologetica epistola de sententia Christianissimi Regis ad ordines sacri Rom. Imp. scripta.

Apologetica cuiusdam famæ Regiæ studiosi epistola.

Responsio Christianissimi Regis ad orationem qua Cæsar in eum Romæ apud summum Pontificem inuestitus est.

Literæ Christianissimi Regis & serenissimorum eius: liberorum, ad Imperij ordines.

Legati eorundem literæ ad Electores Imperij, quibus ad disceptandam de Mediolano controversionis indicu conuentum postulat.

Christianissimi Regis in eandem sententiâ ad Electores ipsos epistola.

Expostulatoria Regis epistola de violato tabellario ad Mogūtinum Cardinalem, qua item indicu conuentum efflagitat.

Ad vniuersos Imperij ordines eadem de re, deque pacis conditionibus per Solimanum Regi oblatis epistola.

Ad Imperij ordines conuentum in Vangionibus habentes in eandem ferè sententiam epistola.

Additæ sunt Regis eiusdem tres epistolæ iam antea datae, quarum prima columnias in se ab inquis suis disseminatas refutat: obiterque suum de indicendo vniuersali cōcilio sensum aperit: Reliquis duabus tum eadem de concilio repetit, tum alias adducit conciliandæ in ecclesia Christiana concordia rationes.

Item Legati Regi oratio in conuentu Schmalkaldiæ habita, Anno M. D. X X X V.


Postremo adiecta est tabula, ex qua iudicari possit ad quos Burgundiæ & Mediolani Ducatus, & Amedei Sabaudia ducis hæreditas pertineat.

Ex quibus omnibus sumnum ipsius Regis in publicam pacem & tranquillitatem studium constare liquido omnibus poterit.

FRANCISCVS³

Dei gratia Franco-

RVM REX, &c. ILLVSTRISSIMIS
& excellētiss. principibus Io. Friderico eadē gra-
tia sacri Ro. Imp. Archimarescallo, & principi
Electorī, Lādgrauio Turingiæ, Marchioni Mil-
næ, &c. & Philippo Landgrauio Hassiæ, Catto-
rūmque comiti, &c. cōsanguineis, amicis, & fœ-
deratis charissimis, S.



EDDITAE SVNT
mihi literæ, vestro fœderatorūmque vestro-
rum nomine, quibuscū Schmalkaldiæ tū con-
uētum habebatis, tertio Nonas Martias ad
me datæ. Quarum tria
potissimum esse capita
animaduerto. Primū quidem excusatis quod su-
perioribus eodem in loco conuētibus habitis, O-
rator noster non quam exspectabā, responſionem
tulerit: causam etiā affertis, quare ne nunc quidem
decerni à vobis Legati ad nos potuerint. Deinde
postulatis, vt hæreditariam illam benevolentia ac

a.ii.

fidem, qua Germanos omnes semper sumus prosecuti, perpetuo tueamur ac retineamus: neque vos & qui vobiscum eandem societatem coierunt, à nobis destitutos velimus, quin singulari eorum atque vestro in ecclesiæ concordiam & Christianæ reip. otium animo volūtati que suffragemur. Postremo, quid de synodo ceperitis cōsilii, significatis copiose, ostēditis que scire velle, quæ sit ea de re mēs nostra. Quod ad primū attinet, multo gratissimum fuit intelligere, quicquid superiore cōuentu omissum est, id neque à culpa vestra, neque alienato à nobis animo profectū fuisse. Quāobrē qui rerū summæ apud vos præsunt, si quēadmodū cōstitutū vobis esse video, Legatos ad me sunt missuri, hos ego humanitatis genere omni sic accipere cogito, vt si literæ meæ illis (quēadmodū scribitis) suaves sunt visæ, cōspectus noster nihilo minus iisdē iucūdus sit futurus. Ad caput alterū sicha betote: Scire vos opinor, viri amplissimi, gētē quidem Germanicā, ex qua velut stirpe genus meum duci non solū libēter profiteor, sed magno etiam in honore pono, tāta necessitudine semper cū Frācica coniunctā fuisse, vt maiores nostri vtranque ferē pro vna eadēmque gētē habendā censuerint. Quòd si qui adhuc sunt, qui nō ita existiment, vehementer meo quidē iudicio fallūtur, manifestēque originem nostrā ignotā sibi esse præseferunt. Itaque mirum videri minime debet, siquæ inter

cæteras quidē nationes pacta sūt atque inita foeda literarū, ea monimētis & quām validissimis fieri potuit cautionibus nitantur: qua verò inter nos necessitudine vincimur, ea demū vna sit, quæ cum ex se ipsa consistit, tum in populi vtriusque peccoribus impressa longa temporum serie egisse radices altius, inseuissēque hanc non iam consuetudinem, sed potius naturā videtur, & ita inseuisse, vt quātumuis corruptis vetustate ac situ (si id forte aliquando cōtingat) mutuæ benevolentia velut tabulis: ipsa tamen amicitia inueterata vis nō idcirco labefactetur, ac ne in dubium quidem vocetur: nec illa præteriti tēporis ab omni prope æternitate memoria nobis à maioribus nostris per manus tradita satis ad legem & authoritatem nō futura sit. Deum enim hominēsque testor, quantum ad me attinet, viri amplissimi, me hac in re nō modò ad maiorum meorum ingenium accedere voluisse, verumetiam, vt præcederem, elaboresse. Quod mea quidem sententia ita est vniuerso orbi testatum & cognitū, vt nihil hostes meos, eosdēmque vestros, quales estis experti, amicos, peius his proximis annis habuerit, quām quòd senserint viri sagaces, nullū aliud propugnaculum aduersum suos ad immodestū illud immodicūmque totius orbis imperiū conatus, firmius nostra amicitia opponi posse. Quare nihil est cur miremini, si omnes omnium temporum calumniato-

res comminiscendis disseminandisque calumniis,
mendaciis, confictisque in me criminibus arte &
diligentia superarunt. quā solam inierunt labefac-
tandæ amicitiae nostræ rationē. At Dei benigni-
tate, vestra verò prudētia, nostra itē erga vos fide,
de qua præmiis nullis, nulla aureorū montiū pol-
litione deturbari vñquā potuimus, repulsi fra-
ctique sunt. Qua ex re iudiciū ego quidem facio,
magisque in dies animaduerto, quām isti male o-
peram suam ponāt, cōmunes (cur enim nō ita eos
appellem?) aduersarii nostri, cum infidias eorū vel
pueris (quod dicitur) infantibus detectas, ac mani-
festas esse constet. Nihilominus tamen quoniam
literis multorum ad me perfertur, eos cādem vñ-
queaque cātionem (vt in proverbio est) occine-
re, nec proximo cōuentu vlo esse pudore cohibi-
tos, quominus odii sui virus omne in me iandiu
conceptum, in tanta tamque celebri virorum am-
plissimorū corona euomerent, statui mihi facien-
dum, vt certa quādam atrociorū criminum capi-
ta, quibus nomen meum absentis deferunt, & nos
vulgo traducūt, diluēda, & causam meā agendam
curarem: nimirū vt re cognita, veritatis ipsius luce;
mendaciorum istorum tenebræ discuterēntur.
Non quōd istos ego, qui ea in me maledicta effu-
derunt, tanti faciam, vt illis responderi à me opor-
tere iudicem: cū neque illi, si id sua sponte faciūt,
sint eiusmodi, quibuscū mihi rem vllā esse velim.


& si authorem suū ea de re laudant, ille non ne-
sciat, quid sibi, quū quid de me securus dicere ausus
est, respōdere solitus sim. Quid ergo: an hoc à me
agitur, vt vobis innocentia meā probem: Nequa-
quā. Neque enim mihi cognitu facile quidem vi-
detur, vtris maiore iniuriam facerē: vobisne, si de
vestra erga nos amicitia, quæ à recta bonāque opi-
nione separari nequeat, dubitē: an nobis, si apud
vos, hoc est viros integerrimos ne alia existima-
tione simus, vereamur. Quorsum igitur hæc spe-
ctat defensio: Eò sanè, vt, qui genere ipso rerū po-
tentis omniē ex omnium animis, & iuris nostri, &
aduersarii iniuriæ dubitationem tollere, nunc sit
vobis in promptu singulas partes, quibus alter ab-
solvatur, alter condemnetur, explicare. Quod vos
omnino facturos pro vestra erga me beneullen-
tia mihi ipse promitto ac recipio. Porro autē hoc
pro certo habetote, cum apologiam quādam re-
cognoscerem, quam ad refellenda istorum in me
crimina & cōuitia curauit ad vos perferēdam, in ea
me nihil deprehendisse, quod vel transuersum (vt
aiunt) digitum à rei gestæ veritate discedat, quōd
que pro vero ab vniuerso orbe recipi non debeat:
& vt ita vobis persuadeatis, velim. Quod ad ter-
tium attinet totius epistolæ vestræ caput, breue est
quod responsurus sum: atque eò breuius, quōd
ad ea, quæ scribitis, nihil addi aut debere, aut
posse videatur. Reliquum est, vt calculum meum

ponam. Hoc igitur suffragiū meum breuiter obsecro accipite, Eum me semper sensum in hac re habuisse, vt quemadmodum temporibus nostris perutile, vel potius necessarium arbitrarer, publicū Christianorū conuentum loco haberī libero, minimēque ad alterius partū iniuriam opportuno, eūmq; rite ac diuini illius spiritus instinctu & nomine, more maiorū agitari, in quo ageretur de publica vtilitate, necnō ecclesiæ totius cōciliatione & cōsensu: ita, siquid horū deesset, nullo modo coitionem eiusmodi probarem: & vt quod res est dicā, cum antea quidē semper fui, tum verò nūc maxime in ea sum opinione, vt nō aliter recte atque ordine concilium haberi posse mihi persuadeā, & ita persuadeam, vt cōtrariæ sententiæ authoribus aures nūquā sim in posterū præbiturus. De Scotorū Rege, cuius & mentionem facitis, curabō diligenter, vt quod velle ostēditis, literæ cum illo vestræ communicentur. Neque est quod dubitetis, quin ille autoritatem meam sit sequuturus pro suo in me studio & obseruantia: quam eandē filii pietatem in patrem interpretari possum, præfertim cum ipse mihi conscius sim, eum à me non fecus, quām liberos amari mutuo & obseruari.

Illustrissimi & excellentissimi principes, cōsanguinei, amici & federati charissimi, Deus Optimus Max. ornamenta vestra tueatur atque augeat. Farra, x. Cal. Jun. M. D. X X X V I I.

Apologetica episto-

LA DE SENTENTIA CHRISTIA-
nissimi Regis ad amplissimos sacri Rom. Imp.
ordines scripta.



VÖD CHRISTIA-
nissimi Galliarum Re-
gis apud vos vel op-
inionem, vel gratiā, vel
authoritatem maledi-
ctis eleuare obtrectato-
res studuerunt, fampri-
dem, viri principes, am-
plissimi ordines, inclyti
conuentus, cōciliāque Germanici nominis, anim-
aduersum est, id eos quidem morbo quodam ani-
mi, ac linguae petulātia magis quām iudicio egis-
se: at dedisse tamen operam, quacūque id ratione
tentare potuerūt, vt temporum nostrorum omniē
inuidiam in nomen Gallicū, atque in Gallorū Re-
gem ipsum transferrent: deniq; vt à nobis vos ab-
alienarēt, quos vt nominis nostri ac generis totius
Frācīci authores, vel verius parētes agnoscere nō
erubescimus, ita nos vobis ornamēto semper atq;
vsui fuisse, nostro quodā iure cōtēdimus. Quāquā
autē eorū iniquitas se in nonnullorū è vestris au-
res nimis familiariter inseruit, sperauī nihil se-

cius ampliss. viri, pro vestra æquitate & sapientia,
me facile apud vos veritati locum esse inuenturū,
apud quos se ipse non tueri modò atque per se
confistere, sed refellere etiam calumniā & explo-
dere possit. Eam porrò veritatē, dum breuiter ex-
pono, me sane beneuolis & attētis vobis usurum
esse confido, cupio quidem certe. tantum abest, vt
omnes istorum omnium calumnias pertimescen-
das putem, vt etiam nō dubitem quin nobis tam
sit causa æquitas profutura apud vos, quam istis
sua impudentia vobis hanc controuersiam disce-
ptantibus, obfutura. Eoque id futurum magis cre-
do, quod anno superiore itineribus per hostiū in-
solentiam quoquoeversum obfessis: tabellariis, qui
ad vos hinc mittebantur, partim interceptis, par-
tim interfectis, eorum etiam edicto (quo res indi-
gnior sit) quorū iniquum imperium dissimulare
cogebamini, cum interim nos ea ipsa causa nostri
apud vos purgandi locum nō nisi angustissimum
haberemus, vestra tamen æquitate factum est, vt
vna velut apologia, quæ ad vos & authore incer-
to, & itineris ratione incompta peruenisset, tan-
tum valuisse existimetur, vt conflatæ in nos inui-
diæ pars non minima in calumniæ retorqueretur
authores: vos etiā vt & Francorum genti, hoc est
generi vestro, & ipsi etiam Regi gentili atque con-
sanguineo, veritate cōperta, esse cōperitis æquio-
res. Hæc verò quūita cesserint, quid nunc tandem

sperare non possim: quippe nō modo repressa, ve-
rum etiam dei primum immortalis benignitate,
deinde Regis Christianissimi incōparabili & vir-
tute & felicitate, labefactata hostium nostrorum,
vestrorum etiam aduersariorum (nequid grauius
dicam) insolentiæ & arrogantiæ pristinæ causa,
aditūque nobis ad vos summo vestro beneficio,
nec minori animorum vestrorū magnitudine pa-
tefacto. Est certe, nisi me longe fallit opinio, cur
mihi de vestra humanitate & beneuolentia quid-
dam nō mediocre promittam, vt qui nequæ mea
sponte, neque itē temere cuiuslibet hominis insi-
stens vestigiis, sed Regis optimi, integrissimi, vo-
bis amicissimi, ac propinquissimi authoritate fre-
tus, vobis eadem illa cōfirmanda, atque iis etiam
gratiōra exponenda quædā suscepimus, quæ ante
ex aliis, qui nec cōmendatione pari apud vos, nec
gratia valerent, nō sine magna tamen animi attē-
tione ac voluptate accepistis. Quanquā ne id qui-
deni quod nunc agimus, tale est, vt in eo instructā
valde, aut exactam, numerisve omnibus absolutā
defensionem ordiar: quin potius id à nobis agi-
tur, vt, siqui forte adhuc sunt, qui superioris illius
apologeticæ epistolæ vel authoritatem, vel fidem
in dubium vocent, quod ea istuc exierit, nec scri-
ptoris nomine, vtpote incerti, nec cuiusquam sub-
scriptione commendata; nunc tandem Regis cō-
firmationem secuti, quam ipsius ex literis videre

est,satis ea de re factū sibi esse intelligant . Nec enim ex ea ipsa apologia quisquis hominū tam egregia in patriam ac principem volūtate fuit, qui negotii huius rationē totam vobis exponēs,inno centiū causam suscepit suapte ipse spōte, est quod demere vel velim vel debeā.nam pauca sunt fortasse quæ pro rei ipsius magnitudine addēda censem. Eam itaque in partē hoc nostrum,quicquid esse videbitur,acciipiatis velim,vt quod vobis hīc legēdum traditur,illius eiusdem esse partem apologiæ existimetis:tametsi non eodem esse filo attexta videbitur:Minime verò offendit iudicium vestrū velim,sicubi res aliqua in priore illa defensione leuius perstricta, eadem in hac velut appendice vel repetetur ad refričādam memoriam, vel copiosius aliquantò de Regis Christianiss.sententia & volūtate pertractabitur.Habetote igitur ampliss.viri,ex hac nostra,vt rudi fortasse & impolita , sic minime fucata atque subdola defensione, mētis atque animi Regis,eiūsque consiliorū summā imaginē & simulacrum, iconicè (vt ita dicā) & ad viū expressum:quod prudentiæ vestræ pro specimine erit volūtatis probæ atq; planè Regiæ, vt significatissime loquar. Id autē à me cā in partē dictum est,vt ex eius principis ingenio facile iudicare possitis,coſicta fuisse illa crima,scelera ta aduersariorū impudentiique vaniloquētia.Qui dum ipsi quidem neque pares ferre queunt,neque

armis tamen de virtute contendere audent,ad cō uitia se & calumnias,sua opinione firmissimū im probitatis præfidium & propugnaculū, cōferunt. vnde atrocissima probra in nos,in Regem,in nōmen vniuersum Francicū,velut infecta & recocta tela importunissimi homines animo plus quam̄ fas est hostili iaculantur . Enim uero ex multis,& (si deo placet) apposite ad speciem cōfictis criminibus, tria esse video præcipue animaduertenda, quæ & maximā nobis inuidiā apud imperitos excitare queant,& quæ inter nos quidē,qui iā olim, atque ab inditiis propemodū nominibus & vestræ & nostræ genti,sanguine,moribus,foederibus sumus quam̄ cōiunctissimi,vel grauissima odia,vel funestissimas simultates ferere,atq; alere possint. certe quidē eiusmodi sunt, iis vt isti se cōcordiam facile nostrā dirempturos,ac publicam causam iugulaturos cōfidant.. Iamprimum Carolum Cæ farem à Francisco Rege, bello interpellatū ac reuocatum ab expeditione Turcica tumultuosè vocerantur.Deinde ab eodē Rege incitatum euocatumque in Christianos Regem Turcarū scele-rato cōmento(ut interdum est malevolētia cum amentia coniuncta)proferre non veriti sunt.Ter tium illud de bello Sabaudiēsi vel crimen vel maledictum huiusmodi est,atque iis argumentis instructū,paritéisque,vt cætera iejunè ac frigidē tractatum,indignum vt mihi videatur,in quo refel-

Iendo contendendū mihi sit vehementius. Horum igitur criminū primum est illud & serie temporis vetustissimū, quo clamitāt Carolum Cæsarem à bello Turcico Regiis armis reuocatū. Hæc qualia molestissimi homines arma fuisse intelligant, cum nulla fuisse norim, quodnam illud sit bellum Turcicum, denique vnde sit Cæsar reuocatus, cum diu mecum reputauerim, nulla possum suspicione assequi. Nō me latet Solimanum iam ante quinquennium magno tumultu, magnaque cōsternatione omnium, ac perturbatione in vtrāque Pannoniam inuasisse: Cæsarem maximas aduersus illum & florentissimas copias coegisse, vt quidem fama fuit. Verum vt hæc omnia vera esse nō inuitus credidi, quin maiora veris iactata esse, & sermone celebrata memini: ita explicare non queo quid in causa fuerit, cur trepidè (vt isti volū) se è Germania recipientem hostem, planè etiam profligatum, fugientique similem Cæsar non sit persequutus: cur occasionē illam tantæ gloriæ, tātique ad remp. Christianām momēti neglexerit: cur denique victoriā iam partam de manibus amiserit. An vt nos səpius cum terribilissimo hoste de salute, de vita, de libertate, de fortunis omnibus dimicaremus? Num etiā tum sese interpellatum esse ac retractum à Rege dicere ipse audebit: cum id omnibus satis innotuerit adornanti expeditionem illā Cæsari Regem ipsum obtulisse pe-

ditum milia quinquaginta, maiorem multo partem (nequid incommoda suspicionis esset) è Germania delectam, equitum Gallorū milia sex, ad hæc tormentorum vim ingentem: nec verò tantū hasce copias suas opésque in expeditionis illius & periculi societate ei detulisse, sed proficiscentem etiam ad bellū, simul ipso in bello res gerentem, susceptis publice pro ipsius salute atque exercitus votis, & more nostro supplicationibus indictis, insuper prosequutū esse faustis omnibus, vt assulet, absentisque rebus perinde atque suis ipsius fuisse: postremo redeunti Cæsari speciosissimā illā, atque (vt ferebatur) laboriosissimā victoriam gratulatum misisse. Iis si officiis Rex Cæsarē ab expeditione reuocauit, faciendum illi quid fuit vt retineret? Illa profecto si hominem interpellauere, si à persequēdo hoste Regis liberalitate atq; eius generis beneficiis retractus est, quibus nos maxime incitari solemus: causæ nihil est cur vel hunc credere possim Solimano hostē fuisse: vel si fuit, necesse est iis assentiar, qui Cæsarē negant tam obstinato implacabilique esse in suos hostes animo, quam homines plerique cōquerūtur: qui si (vt reliqua persequar) tanto studio tenebatur quanto isti prædicat Turcicarū rerum funditus euertendarū, ac non potius sic suis cupiditatibus velificabatur, vt sub obtentu pietatis ac religionis facra æque ac profana raperet & auerteret, & vero (vt pla-

ne loquar) ut hoc præclarum Imperatorii munēris tyrocinium ad miseræ atque exanguis & spoliatæ Europæ iniquam possessionē verteret: si tan ta inquam animi cōtentione in hostem Christianæ pietatis ferebatur: neque hac simulatione religionis, tot nationum, tot populorum dominatio ni imminebat: si nostræ denique libertati, ac fortunis omniū non inhibabat audiissime: quid accidit cur auxilia nostra tantopere necessaria ad id bellum, & vltro & hilariter delata Imperator repudiaret, atque is Imperator qui minime tardi aut negligētis speciem præ se ferat? Sed operæ pretiū est audire, quid ad cōditionem eam sibi oblatam respōderit. Ait ad id bellum quod suscepérat, iam non ope, sed opibus: non equitibus, sed argētariis: non vi tormētorum, sed copia nummorum: non denique sibi prōpto, expedito, numeroſo milite, sed prompta, sed expedita, sed cōfestim numeranda pecunia opus esse. Et hæc cū ita perspicua fint omnibus & cognita, ut negari ne ab illo quidem ipso possint, vel si omnium impudentissimus esse sustinuerit: tamē cum à singulari bonitate & liberalitate eximia proficiscerentur, videte quæſo viri ampliss. hoc Regis tā liberale officiū, tam opportū, tam appositū, quām malignè, quām peruerſe, quām finistrorum Cæſar ipſe interpretatus fuerit. Deus immortalis, nō veritus est dicere Italiā liberalitatis subdolæ, & officii specie repetere nos

tentauisse, & ostētatione delectus Germanici ipsius Germaniæ vires imminuere & exhaustire: atque ea ratione illā inermem & nudā, nec alienis tantū, sed domesticis etiam præſidiis spoliatam, infensissimis hostibus obiicere conculcandam. Qua in re siquæ in Regem maledicta edita voluit, nunquam vera esse censuit, (id quod facile ideo mihi persuadeo, quod & Regis vniuersa anteacta vita, & recentia eius in Cæſarem ipsum officia longissimè ab istiusmodi flagitiis suspicione absunt) si non, inquam, pro veris habuerit. quali ingenio, quali sit integritate & sanctitate Cæſar, qui innocētiæ nostræ hæc crima affinxerit, apud vos ipsi cogitatote. Sin vera ea fuisse putauit, quam ex Regis ingenio conieeturam facere non potuit, eam de suo hac in calūnia fecisse, æquum esse puto ut arbitremini. Verum illa fuit scilicet belli Turcici species magnifice adumbrata, in quo isti cum sibi de hoste (ut loqui solent) deleto mirifice placent: tum verò de nobis ipsis, quos quo iure, quāve iniuria semper hostium numero habuere, multo magis (ut quidem est eorum sensus) triumphant, quam de hoste atrocissimo Christiani nominis. Nisi verò cum bellū Turcicum iactant, & Cæſarem reuocatum inde, ac vi abstractum quiritantur, nō illud significant in Germania gestū, tanquā momenti exigui, verum poste rius alterum insigne Africanum, cuius beatos illos & plausibiles triumphos à Diuo (si Deo placet) Ca b.i.

rolo agividimus (nullum enim esse video tertium) tametsi quod ad triumphum illum attinet, non dico quām sit nugatorium. Sedenim nullum iudicio meo Carolus in omni vita aut gessit, aut gesturus est bellum, quod verius Turcicum nominari aut beat, aut possit, quām quo bello gentem illam aliò tum intentam ad bellum Christianis inferendū prouocauit. Vtinámque ea falsa sint, quā tamē sunt verissima, quā quotidie cum ex Genuefibus & Venetis, tum ex aliarum omnium nationum hominibus audiuimus, qui in Africa aut mercaturam faciūt, aut alia ob negotia illuc commeant, imo verò quā ex procuratoribus ipsius Cæsar accepimus. Nemo est enim eorum quin affirmet Solimanū, cum ex Persica expeditione rediret, publicè apud omnes dicto eius audientes populos per literas, quarū exēplum legimus, questū esse, quōd, cum Tunetani ciues Regis sui tyrānidem ac violentiam pertæsi, AEnobarbū Turcicæ classis præfectum ad se asserendos asciuissent, séque eius commisissent fidei, illum postea securum & nihil minus quām vim à Carolo Hispaniarū Rege (sic enim eum appellant) metuentem, repentino bello oppressum de Tunetis possessione Carolus deturbasset, id tum demum, quum ipse Solimanus in longinquam expeditionem profectus esset, ausus facere, contra fidem ab Oratoribus datā nihil eum interim rerum nouaturū. Proinde admonere So-

limanum, rogare, hortari singulos & vniuersos, sibi in vlciscēdo hoste, vti ne deessent: sed fabricandis nauibus, sed rei nauticæ instruēdæ, sed sociis naualibus vndique cogendis animum intenderent: ipsum quod sui esset officii in reliquis curaturū. si quidem certum ei omnino esse, vires suas omnes & copias quām primum in eum, à quo esset violatus, conferre. Hæc si vera sunt, equidem non video cur non rectè (atque vtinam non tam vere) calumniatores homines bellum hoc posterius, bellum Turcicum nominare possint: quo quidē bello Cæsar Turcarum gentem in Christianā remp. prouocarit, incitarit, elicerit. quippe cum illa gens dubio procul nihil motura in Occidentem fuerit, nisi prius lacepsita, vt video persuasum omnibus: sed impetus suos omnes, in res Persicas conuersura. Et eorum quidem consilii vel hoc inter cætera fidem faciet, quōd cum à nonnullis, quos non imprudens rerum taceo, quorūmque maxime intererat mare hoc nostrū minime nobis fieri infestum; Solimanus rogaretur, vt ab his nostris finibus abstineret, animū potius ad Oriētis opes, quām ad Europæ vires adiiceret, respōdit ille se non inuitum, vt quiesceret facturū, dūntaxat quod posset integra sua existimatione facere: pateretur modò Carolus AEnobarbum suæ classis præfectum Tunetē, vnde erat depulsus, repetere: cæteris de controversiis facile iri transactum. Deus Opt. Maximus faceret vt b. ii.

latā conditionem rationibus Christiani nominis accommodatissimā acciperemus, nec tam improbe atque impie vel gloriæ nostræ vel cupiditati seruiremus, vel denique obstinato animo usque adeo obsequeremur. melius profecto & commodius rebus Occidentis consuluisse mus, ac de Christiana religione salutarius statuisse mus. Nam per Deum immortalem, quid causæ fuit, cur non eadem de Tunete, id est Mahumetanorum latebra magna cum nostra laude & compendio faceremus, quæ paulo ante de Methone arce ac præsidio Christianorum illustrissimo, ipsis Christianis, qui nos invocarant, proditis, maximo quidem cum nostro dispendio, sed maiore multo dedecore & ignominia feceramus? Hoccine illud est tandem quod isti perhibent, de quiete & salute reip. semper se cogitare: semper esse sollicitos: sua opera, studio, diligētia, virtute, fide illa omnia sustineri & seruari: præ illis priuatarum se rerum omnium & vtilitatum suarum rationem nullam habere? An etiam id est Herculem alterum orbis liberatorem esse: alterum esse Cæsarem Ro. assertorem imperii? Hoc est religionis Christianæ propugnatorem se vnicum velle videri, atque eo nomine apud omnes inclarescerre? Quod si Rex, quem isti tam pii homines neglectæ religionis: quid dico neglectæ? imò vero proditæ & afflictæ insimulant, hac occasione oblata aut alia eiusmodi, illud nescio quod propugnacu-

lum aut castellum ad fauces Tunetis positū Solimanō non restitueret: si non tyranno, omniū quos terra sustinet, impurissimo (de Rege oppidi illius loquor) amicitiam renuntiaret: si non ab in honesto foedere, si non à consensu Christianæ pietati perniciossimo recederet: nisi iniurias omnes, si quas ab hoste recepisset, reip. quieti benigne remitteret: nisi Africanum omne imperium & inanes illos Europæ, Afriæ, Africæ titulos otio Christianorum cōdonaret: nisi denique omnia faceret, vt iam ingruentem nostris ceruicibus tempestatem auerteret: quid tum, obsecro vos, quid inquam non essent rigidi isti censores proloquuturi? Nonne cupidum, nonne insolentem, nonne impotentē animi, nonne iam moribus præsentibus intolerādum parum illis esset eum dicere? Scelestum mediussidius, nefarium, sacrilegū, impium: humanitatis, pietatis, religionis euersorem, aris focisque infestum Regem esse clamitarent: idque non iniuria. Neque enim probri vllum, vllum cōtumeliaz tam inuidiosum genus est, quo non dignissimū eum homines meritò iudicarent. Verū in hoc bello quidnam est tandem, in quo Regis benignitatē, humanitatē, æquitatem possit Cæsar desyderare? Quid quāobrem Regem fugillare iure possit? Cœpit ipse hoc triennio classem parare in nostri litoris vicinitate, omnium quas nostra vedit atas, atque audiuit, tum robore copiarum numeroque, tum omni apparatus ge-

nere longe instructissimam. Excipiebatur eius interim voces minarum plenissimæ, quæ ad Regem solum non dubiè pertinebant. deprehensi & coniicti viri nefarii aliquot, qui tam Cæsar's classem intra Massiliensem portū accipiendā, quīque Andreæ Auriæ quem vos & de fide & de nomine satis nostis, Massiliam ipsam vrbē omnium maritimarum nobis opportunissimā, tradendam suscepérant & redemerat. Detectæ iam erant insidiæ, pœtafacta erat scelestæ expeditionis adūbratio. nec dubium erat quin verbo quidem ad Punicæ oræ oppugnationem tanta classis, re autem vera ad Christianæ expugnationē occupationemque vrbis suprà dictæ parata esse videretur. Tā insigni iniuria Rex laceſſitus, ne sic quidē ab vetere instituto suo discedendū putauit. Satis tum habuit ab insidiis cauere, reique euentum opperiri: nec in causa tamē fuisse facile affirmauerim sceleratā hanc perditorum hominum coniurationem, cur tandiu Cæsar suam profectionē distulerit: nec ei morā attulisse eam spem, quod de capienda per proditionē Massilia aliquid aut cogitauiſſet ipſe, aut sperauifſet. Nā id licet verisimillimum multis viſum sit, quia tamē nihil vobis ex vano haustū tradere institui, neque quenquam niſi comperta re fraudis ac perfidiæ incusare, vestro sapientissimorum viroru*m* iudicio rem totā arbitrandam relinquo. Id demū aſſeuereare iure possum, ſimul vt detecta eſt proditio

atque oppreſſa, Cæſarem qui diu nullā ob causam quæ maniſta quidē eſſet, cunctatus Barcinone in anchoris ſteterat, illiſco cū ingēti illo apparatus ſoluſſe. Qui iam in altū prouectus id Regiis Oratoribus, quod eos pereape anteā ſcificantes celauerat, confilium expeditionis ſuæ tandem aperuit, & hactenus tamē aperuit, vt Regi amico, Regi ſororis viro id demum ſignificari vellet, ſeſe in expeditionem quādam Christianæ reip. gratiā proficiſci, ſuīſq; verbiſ per ipſos Oratores rogarī, vt abſenti ſibi Regis fides atque amicitia perinde vt præſenti constaret, nec quicquā rerum interim in Italia moliretur. Hoc posterius tametsi durum, (nam ſuperiora cum à Rege ſponte ſemper exhibita eſſent, nihil attinebat poſtulare) verū hoc tametsi durum, & præter æquum videbatur additum, pro ingenio Regis tamen & perpetua voluntate in rem. ab eo nō eſt recuſatum. In Italia vt nihil nouaretur, poſtulabat Cæſar. id cōtra ius æquumque imponi ſibi probè Rex intelligebat, indignarique eam ob rem iure poterat, eoque magis, quod præter hæreditariaſ in agro Inſubrium poſſeſſiones, quas repetere debebat, recentem Francisci Sfortiæ iniuriā Mediolanenſium tyranni, nullam moram admittere, nullam cunctationem perferre intelligebat hominum opinione. quippe pro contumeliæ acceptæ magnitudine, ē Regis tahti dignitate non eſt, tyranum illum ſinere diuturnum fructum violati

b.iiii.

juris gentiū capere. & nihilo secius tamen Rex placidissimus, cum vellet reip. potius quam vel doli- ri proprio vel dignitati morem gestum, pedem do- mo non extulit; quandiu in Africa Cæsar belligerauit. Hæc si ad examen æquitatis vestræ perpèden- tur viri amplissimi, nec furilia esse videbuntur, nec Cæsaris ostētationibus similia. Cæsar enim maluit alienæ tyrānidi in Africano negotio, quam suo of- ficio, quam otio Christiani nominis & securitati consulere. Rex verò, ut cæteras causas, quæ & plu- rimæ erat & iustissimæ, præteream, dolorem pro- prium, vindictæ occasionem cum æquitate cōiunctam, publicæ tranquillitati, Christianorum quieti atque vtilitati postposuit. Neque vos latet tamen Sfortiam hac patientia Regis, hac animi æquitate indignum fuisse, qui in Legato Regis violando o- mnem barbarorū feritatem superauerat. Nam pri- mū Regis Christianissimi Legatum comiter ad- missum, deinde crebrò & familiarissime acceptū, ad extremum contra ius gentium trucidauerat: ty- rannus videlicet nulla virtute nec corporis nec animi præditus, ne inglorius moreretur, innotescere facinore immanitatis concipiuit. Et verò Dio- medis illius Thracis & Busiridis AEgyptii, qui ne- candis hospitibus suorum nominum memoriam ab obliuione vindicauerunt, æquare gloriā conten- dit. et si hōc illis præstitit in eode genere crudelita- tis, quod illi in aduenas & viatores, hic in ciuem

& popularē: illi in quoslibet & ignotos homines nulliusque nominis, hic in vitum nobilem, & le- gatione Regia functū, specimen dare ingenii bar- barici voluit. Quod inauditum scelus & in primis nefarium, Rex & indignitate cōtumeliæ, & iustif- sima doloris causa percitus, vltum ire properabat: à quo etiam, cum diu hac de re satisfieri sibi postu- lasset, frustra habitus cōtemptusque erat. Neque ea tamen omnia Regium animum à cōmunis vtili- tatis atque humanitatis studio abduxere, ut publi- cæ cōmoditati vel iuri sui vel iniuriæ persequi- tionem præferret. Id quod tamen sine vlla cuius- quam offensione aut reprehensione facere poterat. Erant enim tum Regi ad manum omnia quæ ad vindictam nefarii facinoris viam munirent ac rationem expedirent, tempus, res, occasio, copiæ, bo- norum omniū studium, populi totius in optima causa cōsensus. quæ quanuis & videretur, & essent maxima: non tamen tantum apud eum valuere, vt reip. ratio ac vitæ cōsuetudo nō multo plus potue- rit. Vos itaq;, vos appello, amplissimi viri, vestrum- que istud collegiū, cuius, cuius inquam dignitate & gloria imperio Romano sua constat adhuc pri- fca & augusta maiestas, vos quæso atque obtestor, vt in re vestra contra veritatē atque æquitatem, ca- luniæ & vanitatis patroni & defensores esse ne su- stineatis: præsertim cum apud Cæfarem ipsum ne dignitatis quidē istius illustrissimi collegiū ius ob-

tinere potueritis. Quanquam quid dico dignitatis? qui & saluti & incolumenti vestræ, affectatae si-
bi quoquo modo tyrannidis esti iniquissimæ, ta-
men tutelā propugnationemque anteponere non
dubitarit. Verum quoniā omnia sibi ignosci vult
& permitti, aliis contrā nihil de summo iure re-
mittere consuevit, hoc etiam in illius gratiam, vt
æquum est, fateamur, in contentione humanitatis
& beneficētiæ nimis iniquè Carolū Cæsarem cum
Frāculo Rege componi. Sit enim sanè huius Re-
gis Christianissimi, nō istius Imperatoris Roma-
ni, de Christiano nomine bene & sentire & mere-
ri. Itaque hactenus de illo & de illius in remp. vo-
lūtate dictū sit. Hoc certe quod sequitur, Regii pla-
nè fuit animi & moris, quod aliquāto post Africa-
num bellū confectū mortuo Sfortia, ne tum qui-
dem Regē de sententia casus appositissimus & tan-
quā cælitus oblatus deduxit. Siquidē ea mors Sfor-
tiæ omnē aditū in vacuā possessionem veluti cadu-
cam remigrādi Regi aperuerat, absente præsertim,
hoc est è Sicilia nōdum egresso Cæsare: vbi tū etiā
& incommoda valetudine & rerum inopia om-
nium ex Africa reuersus, premebatur. Neque verò
erat tum in re improuisa & repentina, vnde auxi-
lium facile mitteretur António Leuæ, qui tū forte
Mediolanū cum imperio ille quidē, verum sine ex-
ercitu obtinebat. Contrā Regi præsto erat populorū
studia, si iis vti in animū induxisset, pleræque arces

præfectorū volūtate, permulta oppida Insubrium
munitissima patebāt: iam verò Rex ipse ad radices
Alpiū versabatur, cum ab rebus cæteris omnibus,
tum verò maxime ab exercitu paratiissimus: cum
tot tamen tantarūmque rerum copia atque oppor-
tunitas in idem tempus illud incurrisset, nihilo il-
le secius temperādum sibi esse duxit, adhucque ex-
pectādum, ecquid dux ille Sabaudiæ pateretur ad
æquitatem se adduci, apud quem iam decennium
erat, cum assidue per internuntios Rex ageret, vti
ablata per vim & retenta moribus sibi restitueren-
tur. Quæ cum ita essent, ecquis crederet Regē vi-
ribus, opibus, studiis, causa denique ipsa superiorē;
addo etiā & animo & rerum vñi, nihilo, vt leuis-
sime dicam, Cæsare inferiorem, ne ad hāc quidem
occasione loco se fuisse moturum? Nemo opi-
nor. Atqui ne significationem quidem vllam hu-
iustmodi dedit. Et quanquam toties antè expertus
in se Cæsaris animum, & verò certior factus Cæ-
sarem Regiæ suæ primoribus iureiurando illo ad
ostentationem Imperii exquisito affirmasse, po-
tius extrema se exempla paſſurū, quām vt in Ita-
lia Regi vel tantulum retinere, in quo vestigium
figere posset, per se liceat: attamē iterum atque ite-
rum & sæpius tentandum esse iudicauit, siquo pa-
eto hominis ingenii molliri posset & mitigari: &
si minus illū æquitatis & officii respectus, at homi-
num certè existimatio & temporum cōmuniū

ratio eò adducere posset, vt aliquando nō inuitus ficeret, vt Mediolani possessione sibi cederet. id autem erat, vt alienum, quod per summam iniuriam occuparat, iusto domino redderet, non armis quæ (si in armis ius poneret) promptissima erant, sed iure, sed legibus repetenti: hoc est, vt Christianorum quieti prouideret, cuius rei causa velle se omnia praese tum ferebat: nam nunc, ne simulat quidē. Neque verò fuit vlla tam iniqua conditio, quam non pro æqua, si modo ratio sui aliqua haberetur, Rex fuerit amplexurus. Acta autem res intervtrunque per Oratores fuit, ita vt fieri aliquid posse speraretur. Quidnam igitur ille? Diem de die ex industria du cere, Regem pacis cupidissimum, studii eiusdem simulatione frustrari, dum sacramento quoſcūque potest, adigit, exercitus comparat: dum pecuniā ad stipendia militum vndecunque datur, cogit: dum locis opportunis munit oppida: dum quacunque potest ratione, quorumuis hominum animos sibi cōciliat, alios etiam per fraudem ab Rege alienat. denique dum populos Regi audiētes sollicitat ad defectionem, dum illius familiares qua spe, quibus præmiis, quibus pollicitationibus potest, calcata iusti, æqui, honestique reuerentia, corrūpit. ac ne pluribus, dum omnia omnium ingenia, qui vñquam arte, diligentia, industria, labore ad ambitionem valuere, non æquat modo, verumetiam vincit. Vbi autem hæc ex animi sententia omnia successere,

tum impetu sane incredibili, viribūsque post hominum memoriam formidolosissimis Regem vndique à fronte, à tergo, à lateribus adoritur: Galliam ipsam, quid Galliam dixi: imò Europam potius atque Asiam & Africam spe quadā infinita & libidine dominādi inexplebili deuorat, ne id quidem obscure ferens, se non antè quieturū, quām Regē, nec tantummodo Regem, sed Regem Christianissimum, Regem foederatum & socium Regem cognatū: prætereaque Regem sibi ex sororis suæ matrimonio ante alios affinem factum, de Rege priuatum, de locupletissimo egentissimum omnium: & si natura pateretur, de propinquissimo alienissimum reddidisset. Prò Deum immortalē, quò tandem ista animi impotentia eruptura est, nisi prouidentia cælestis frænos imposuerit: Mithridatem olim Regem Pōti, cum à Pop. Ro. iustissimis armis premeretur, quod maximis contumeliis ciues Romanos in Asia sociosque affecisset, antiquorū monimentis traditum est, post grauissimas clades acceptas, fortunæ suæ misericordia non vicinos modò reges ac necessarios sibi populos commouisse, verumetiam nationes illas, quæ supra Euxinum pontum incolunt, immanes & barbaras, & ab omni propemodum humanitatis sensu remotas, Regii nominis sanctitate atque reuerentia sibi ad auxiliū extremique casus societate adiunxisse: vt cum illo quidem, quicū nulla alia causa aut necessitudi-

ne iungebatur, tamen pericula sua omnia ac fortunas communicari voluerint. Tute vero populi, ut vis, Christiani Imperator, non tantum Christianum, sed Christianum Regem, Regem etiam Christianissimum, & quo nunc affinitatis iure utimur, Regem fratrem tuum post illas tot tantasque a te illatas iniurias, homo barbaris inhumanior, nullo nec dicto nec facto lacesitus, bello atrocissimo atque sceleratissimo incautum opprimere conatus es. & quem amare, quem tueri, quem defendere, si quis alius violasset, debueras, omni dignitate spoliare, omnibus fortunis euertere, spiritum eius haurire, & sanguinem exorbere voluisti. O ingenium truculentum! o mores ab humanitate Christiana abhorrentes, istique maiestati tuae minime consentaneos! At qui illa est vis violati numinis, illae sunt animi conselerati tenebrae ad lucem illustrem caligantis, ut qui se in grauissimum aliquid & nefarium induunt flagitium, iis consilii acies & metus ipsius oculi in illa vesana concitatione animi, velut tenebris intus offusis, iam sui impotentes sint. Illas, illas inquam voices ab omni humanitatis more, & societate communis vitae dissonas & discrepates, non prius emisit ille in publicum, quam apud se secessisset ita se districtum Regem & irretitum tenere, ut nullus iam recipiendi sui locus ei superesset: id enim sibi nec prouide nec intelligenter satis persuaserat. Nam Romanum quidem cum paulo ante venisset, ubi ad

eam perniciem accommodatissimos hominum sensus inuenerat, illiusque suae sententiae non fautores modò, verum etiam authores nequaquam aspernandos, illo tamen in Pontificio senatu, illo principe orbis terrarum confessu, negare non ausus erat sua nihil interesse, quod Rex Duci Sabaudiae bellum faceret: nec se ea re bello ab Rege lacesitum, nec foedera ideo violata videri. Et quidem licet, ut plerique audistis, nihil tum Regem prohibere posset, quin exercitum, si vellet in quosquis promoueret Italiae angulos: id tamen ut faceret tantum absuit, ut etiam copias Versellis vrbe illius agri munitissima, & momenti sine dubio ad obtinendum Mediolani dominatum maximi, sed tum imparata retraheret, dum de omni controuerchia Cæsare ipso rogante & Pontifice Paulo virginete transigeretur, idque summi illius ordinis vel potius Imperatoris ipsius (ut postea cognitum est) arbitratu. Et vero tum quidem eam spem nobis Cæsar iniecerat, ut pax conuenire posse videretur, quo facilius, dum pacis consilia simulabat, occulta belli studia dissimularet. quod totum fallendi genus sic ab isto est administratum, ut certas etiam ipsas coditiones tota de re proponeret: quæ si reciparentur, de Mediolani possessione se cœfestim decessurum ostendebat. quas conditiones posteaquam Cardinals Lotharingus vsus ad ipsum incredibili celeritate itineris, & ad eam rem missus ab Rege Legatus

accepisset pro potestate & comprobasset, Carolus, qui illa omnia ad fallendum composuisset, qui videret nostras copias occasionem rei gerendæ non minimā amisisse, suas procedere coepisse, qui etiam (si Deo placet) à Frācisco Marchione Salassiorum perfuga perfidissimo, quem pollicitationibus aureorum (vt dicitur) montium corruperat, se milites omnes deditos ac vinctos, & prouincia ad quam sciebat eum pro Rege mittendum, breui receptum sperabat. Qui igitur hæc omnia in sinum sibi cessura certa iam & gestiente spe confidebat, & præsertim qui de superiori rerū successu in posterrum coniecturam non dubiam faceret, sententiam se mutasse perfricta neque satis augusta fronte (nequid amplius dicam) respōdit. nec id tamen (bone Deus) quum diceret, erubuisse fertur. Negavit se ad easdem, quas ipse paulo ante tulisset, conditiones descensurum, quinimò nec ad alias quidem nobis iniquiores, quas Cardinalis pacificator missus pacis publicæ pro Regis more cupidus, alias atque alias in medium afferebat: nihilque iam nisi arma, cladem, excidium, extremam vniuersæ Galliæ perniciem loquebatur. dices eum iurisurandi ac societatis & fœderis fidem non officio & honestate, sed commodo atque utilitate metiri. Atque ea fuit ad illa tempora, viri principes, pacis toties frustra defyderatæ à nobis, frustra toties tentatæ, & Cæsar's conditionū tyrannicarum summa. Nec vero quæ

secuta sunt, aut æquiora, aut commodiora nobis à Cæsare fuerunt. piget enim referre quæ toto illo tépore, deinde castris ad Aquas Sestias Romanorum quondam in prouincia positis fecerit, quum ad eum etiam tum de pace referretur. Quo tempore cum Annas Mommorientius præfectus aulæ Regiæ, quem castris ad Auenionem positis Rex sibi legauerat, summam sibi rerum creditam ac mandatam vt prius in pace sapientissime, ita tum illic in bello fortissime administraret, nihil ipse quidem prætermisit quod ad pacem salua Regis ac gentis dignitate spectaret. Hic per Deum immortalem, quæ dubiis adhuc vtrinque rebus, quæ iam perditis Cæsar's, dicta facta fuere: quale hoc tandem est, quod iam fugam circumspectans, per Pontificis Pauli internuntios, Regi iam planè vietori ea ipse imperaret, quæ vel victo haudquaquam esset imperaturus, nisi videri vellet & crudelis & impudens. Sed hæc & his similia permulta prudens prætereo, simul ne in eundem maledicentiæ scopulum, ad quem aduersarii naufragium ian diu fecerunt, ipse quoque impingam: simul verò ne non secutus mei Regis exemplum videar, qui nihil vñquam tam alienū nobilis aut egregii hominis instituto duxit, quām hostem maledictis non modò laceffere, verū etiam propulsare. Cum quo vtinam ipso Rege hostes, quām facile maledicendi libidine & insania transuersi rapiuntur,

tam essent parati vel de pacis studio & placabilitate, vel de belli gerendi ratione & magnitudine animi contendere: aut in has miserias in quibus hodie versamur, non essemus coniecti: aut in his diutius opes nostras non contereremus. Nam alterum, ad arma ne iretur, facile impedisset: alterum, postquam eò ventum est, pacem, vel alterutrius fortasse interitu nobis, hoc est Christianæ reipublicæ reddidisset. Prò dei hominumque & vestram in primis fidem, tantam inesse hominum iniquitatem, tantam rei indignitatem, tam præpostoram istorum voluntatem, ut qui se publicæ quietis & salutis vindices: nos contrà, vtriusque hostes, vtriusque turbatores appellant, tamen quocunque in rerum statu positos videoas, neque rem pace componere, neque dirimere bellum velint: Hoc enim posterius planè expeditio illa ipsorum Massiliensis docuit, nonnihil hæc etiam Belgica, in qua Rex hoc tempore ius suum armis repetere, & se suaque aduersus infestissimos hostes munire coactus est, cum in neutra hactenus progreди in aciem, & de summa rerum prælio decernere ausi sunt, facta toties à nobis pugnandi potestate. Nam superius illud omnibus abunde probatum esse confido, consilia istorum videlicet semper à cōcordia studio ac pacis mentione aliena fuisse. Nam quod arrogantiæ genus, quod superbiæ, quod autem exēplum crudelitatis & con-

tumeliae florentibus eorū rebus non sumus experi & perpeſſi, quos non dolos & versutias dubiis adhuc rebus ~~clausis~~, quam nō obstinationem animi iam afflictis sensimus: qui quandiu illum fortuna in sinu veluti Iunonium puerū, & partum matris suæ (vt ait ille) aureum gestauit, vix nos congressu aut colloquio dignatus est: tantum abfuit vt nos nostra repetētes æquis auribus audiret. Age postea quām de rerum successu & cōmuni belli Marte dubitari cœptum est, quantò ille æquior factus est aut humanior? Qui etiam amissio ad Aquas Sestias, & penè deleto exercitu, in eadem animi acerbitate amarulentiaque permāserit: quum esent tamen qui sperarent hac offensione belli, ho minis animum ad æquitatē aliquam perduci posse: idque sibi haud dubie aliisque polliceri & spōdere auderent, non mediocris illi quidem neque iudicii neque authoritatis viri, quos ea de re Pontifex Paulus, Christiano nomini prospiciens misserat: atque hoc illi ita futurum iudicabant, ea ratione maxime adducti, quod Regis Christianissimi maximus natu filius, in quo prius controuerſia pars nō minima resedisset, certas ob causas putabatur, esset de medio sublatus. Hoc vnū modò verebātur, ne Rex præsente fortuna elatus eas recusaret cōditiones (si iterum offerrentur) quas rebus adhuc dubiis Cæsar Regi latae ab eo que accepas, ipse qui tulisset & præscripsisset, improbarat

ac fecerat irritas : haud facile dixerim minorēne fide, an maiore animi impotentia. Vr̄um easdem illas si vicissim à Rege quoq; ferrentur, Cæsar ipse pro rerum euentu magni beneficij loco arrepturus putabatur, & amplexurus cupidissime. De Regis animo qualis tum (vt dixi) in pacis conditiones futurus esset, in tanto rerum successu erat non paulo magis incertū. Videte nūc igitur obsecro viri principes, & apud vos ipsos perpendite, quām pr̄ter multorum vestrāmque fortasse opinionem accidit, quantōque natura magis quām fortuna in vtranuis partem humanus inclinatur animus. Mutata erat in vtroque neque hoc paruo momento fortunæ, id est rerum apud multos omnium moderatricis ratio, idem ingenii habitus, idem animus, eadē vtriusque voluntas remanserant, vt neque Carolum aduersæ res ab immanitate deterrerent, neque Franciscum ab humanitate secundæ auerterent. Nam hic sanè conditiones quas aduersante fortuna, tamē vt iniquas fibi, nec dignitati suæ conuenientes, suo iure posset ab se se amoliri, easdem obsecundante rerum cursu, ve lūt æquas ac dignas, amplitudine sua, publicæ cordiæ amore, & Christianæ pacis studio amplexus est. Contrà ille Populi Romani Imperator, nominis Christiani vindex, vt quidem videri cupit, & Cæsar & Augustus, quod in medio victoriarum plausu, pacis causa, vt quidem ipse dicti-

tabat: verum, vt res erat, simulandi ac decipiendo consilio obtulerat : idem ipse sublimi illo statu grauissime inclinato, cū nullus vltrā fraudi locus relictus esset, ob publicæ quietis tedium sequi noluit. Itaque Rex superiores illas de pace leges, quas iure poterat repudiare, recepit : Cæsar, quas à se latas, sine iniuria ac scelere immutare ne verbo quidem poterat, abrogauit. Qua in re nec existimationi suæ consuluit, nec fidei, nec humanitatis, nec denique reipub. rationem habuisse dici potest : nec verò in Pontificis maximi autoritate esse sustinuit : postremo nec religionis metu, nec vlliis aut diuini aut humani iuris reverentia flectere animi duritiam potuit. Idem etiam cum nec humanam in hac re societatem violare vereatur, cum nec diuina apud eū iura interdictaque sancta sint, cum omnia incredibili cupiditate misceat, cum omnē honesti, boni, & æqui confundat rationē: cum nos cōtrà tot iam annos nimis æquo animo iniurias illius nec sine cōtume lia passi simus, nihil otii ciuilis causa antea nō tulerimus, nihil porrò ferre indignitatis recusemus: idem ille tamen se publicæ pacis authorem, se patrem patriæ, se cōseruatorem publicæ dignitatis: nos iuris omnis violatores, nos hostes publicos, nos turbatores otii communis esse clamitat. Nūc etiam (ð summam indignitatem) cum Rex in sententia pacis, ipse Cæsar in belli pertinacia conspi-

Vobis

cuè permaneat, cogitate apud vos ipsos quæso, il-
lustrissimi principes, & secum quisque expendite,
quid sit nobis, quid nomini Christiano, quid vni-
uerso orbi nostro de huius contumacia, quid de
animi effrenata libidine sperādum. tum Francisci
facilitatem ex diuersa parte in remp. cui priuatas
omnes iniurias ac regni sui publicam contumeliam
non inuitus faceret vt condonaret, si per aduer-
sarium liceret, istius peruvicaciæ opponite, siveque
amborum ingenia, instituta, consilia comparete.
Nō habeo, fateor, insignes illos Africanos titulos,
quos vobis pro Rege amicissimo & officiosissimo
scribens in præsentia venditem. Quibus nugis, si
isti non ambitionis fructum magis quæm Dei im-
mortalis gloriam in victoria illa seu Turcica seu
Africana quæsissent, si non hoc nomine satis à se
Christiano nomini factum esse putarēt, quod So-
limano Turcæ rerum gestarum gloria & magnitu-
dine atque numero victoriarū minime cesserint:
nimirū non eò nobis res summa rediisset, vt tam
niale, tam incōmode C H R I S T I Dei immor-
talis religio audiat apud exteras nationes ac gen-
tes: id quod etiam ipsum eo magis indignum est,
quod à Getis & Sarmatis Romani homines (ne di-
cam Christiani) in religionis ac pietatis disputa-
tione hodie reprehēdimur: quippe qui hoc nobis
clare exprobrant, bellum illud non Christianæ
pietatis propagandæ gratia, sed imperandi studio

ac libidine, aut aliena potius diripiendi suscepisse: id quod exitu fortasse nō obturissimum fuit. Multò certe plures numerantur ex iis qui Cæsa-
rem in Africam sunt sequuti, qui à C H R I S T O
ad Mahumetem descuerint, quæm qui ad C H R I-
S T V M transierint ab ipso Mahumete. Porro au-
tē vel apud Afros ipsos, in quos ea tum belli pro-
cella incubuit, is sermo perugatus est, Cæsarem
Christianorum omnium, vt gloriatur, ducem, pro
rerum suarum amplificatione expeditionē sum-
psisse, religionis suæ illustrandæ curam aut nullam aut minimam certe habuisse. Quæ dum in-
ter se homines barbari quidem illi, sed rerum ta-
men non omnino imperiti æstimatores prolo-
quuntur, qua tandem nos infamia apud ipsos, qua
istos apud omnes inuidia flagrare iudicatis: vt
minime mirum sit in contemptum venisse reli-
gionem nostram, quæ à nobis ipsis sperti publi-
cè & pene irrideri videatur. quæ cum diligentius
omnia & attentius tecum reputo, nihil profe-
cto in ista gloria inesse video, quare præclaros i-
stos triumphos Cæsari inuidendos esse censem:
aut cur egregiæ Regis nostri in rempub. volunta-
ti, & propenso ad publicum compendium animo
anteponendos putem. Quam volūtatem tamē
si non tam ex tota oratione mea, quæm ex ipsius
vita & institutis intelligere potuistis: tamē quan-
do nos eò rapuit aduersariorum iniuria, qui ob
c. llii.

*fabbis - in secunda
nes n. ut in p. fin
tas bec ronaf &
euangelio christi
rem regno Tunet
p. dicaret*

ea quæ audistis, nomini nunc eius atrocius & inhumanius obtrectant, ad ea quæ iam à me exposta sunt, pauca etiam nūc addere, ad istorum columniam refellendam & cōuincendam, pro eiusdem innocentia cogimur. Et priore quidē illa accusatione, viri amplissimi, quo nomine Regem de interpellato Cæsar is in Turcas bello apud vos in inuidiam vocēt, intellexistis: quam ad accusacionem, non dubito quin à nobis satis pro conscientia vestra & prudētia animi sit responsum. In qua tamē, quòd facile subscriptores intinerint homines sui simillimos, eo maiore animi fiducia vel confidentia potius, alteram illam eāmque longe vehementiorem sunt aggressi: quod membrum, totius causæ secundum est. Nō enim satis habuerunt impudenter & proterue falsoque obiecisse, Cæsarem à bello Turcico Regiis armis esse retratū, nisi (vt sunt audacia proiecta) ad id hoc etiā vt priori criminī affine & satis cōsentaneū adderent, Turcarum Regem à Christianissimo Rege in Christianos ipsos accersitum de industria & euocatum. Evidē vt credam, tam flagitiosi mendacii caput esse authorēmque Cæsarem, ægre adduci possū: vt ne illud quidem mihi fidem faciat, quod plerique tamē vt testatum, vt compertrum, vt cōfessum affirmant, hominem, Cæsarem & Augustū, tam atroci ac præcipiti ira fuisse percitum, vt Regem patrem filio charissimo orbare

tanto famæ suæ dispendio voluerit. Id enim non solum à viri in republica principis sensu, verum ab hominis eiusmodi, cuiusmodi Cæsarē esse cūpimus, ingenio est abhorrentissimū. Tametsi (verum vt fatear) permagna res nō caret suspicione. siquidem cōstat, & eos qui venenum filio curaere, dum idem telum patri quoque intentarent, & eorum plerosque qui in eū tam inhumaniter hodie inuehuntur, tantāque lingua procacitate, tanta maledicendi libidine efferuntur, Cæsari fuisse pridem & etiamnum esse omnium qui viuūt, gratiosissimos atque iucundissimos: ex ilisque qui nihil non possunt apud Cæsarem, nullos adhuc maiore benevolentia quām istos, nullos amplioribus præmiis, dignitatibus, honoribus Cæsarē esse & ante & postea prosequutum. Quorum factū si ipse Cæsar (vt par erat, & ego quidem peruelim) fuisse detestatus: proculdubio neque tāti ac tam nefarii flagitii, neque eorum quæ partim iam cōmemorauimus criminum, atque artificiorum autores eo apud eum loco, eo numero esse debuerunt. quorum vel flagitorum vel certe artificiorum si Cæsar ipse, vt multi existimant, vel author est vel fabricator, tam astutè, tam veteratoriè negotium tractat, hominem vt manifesti facinoris conuincere aut tenere nō possis. Quid tum enim facturum Regem non fuisse putatis, quòd non descensurum, si vel authorem flagitii, vel huius se

maledicentia Cæsar non modò præscriptore esset professus, verum etiam si vel subscriptore? Sed ita fætis habet, ut eiusmodi calumnia, quod nec testibus, nec argumentis, nec bonorum hominū opinionione confirmari possint, ab huiusmodi criminacionum artificibus, velut per cuniculos in hominum mentes insinuantur ac serpent, neque ex his sit quisquam, qui se earum authorē esse fateatur. Neque tamē cum sint eiusmodi, ut & patrono careant & assertore iusto, non fautores quo slibet interdum inueniunt, auresque pronas ad maledicta exaudienda. Quò fit ut sensim quasi per manus hominum tradita cōmenta maleuolorum, proverbis & exploratis cedant. Atque illa quidē et si minime sunt tanti (quod ad fidem attinet) ut graues homines & experientes magnopere mouere debeant, Rex tamē pro suo in vos affectu, officii sui esse duxit, interessaque existimationis suæ, ea quamquam nulla, aut contemnenda autoritate nixa, tamen non contemnere: sed pro eo quāti vestrā de se opinionem facit, diluere: & quod vos quoq; pro se aliis respondere possitis, tractare atque absoluere. Et prioris quidem totius tragœdiæ argumentum, & supradicti cōmenti causam à Cæsare profectam esse, vobis (si prudētiā vestrā & intelligentiam bene noui) apologetica illa epistola pro Rege scripta, criminū refutatrix, fidem fecit: satis verò ex iis literis, si modò eas omnes accepi-

stis, quas proximo mēse Ianuario ad vestros istos ordines Rex dedit, perspectū esse vobis existimō, qui eius sit animus ad res Turcicas capessendas, quanta in Christianam rem publicam fide cōstet. Neque enim si fibi suisque liberis & Galliarum populis consultū cupit, continuò re publicæ Christianæ (à qua nomen clarum atque illustre sortitus est) incommode cōtendit: quod deus omen auertat. Neque ideo se aut impium aut nefarium videri debere putat, quod salua Christianæ re publicæ non modò quiete, verum etiam (quod ad eū attinet) dignitate rebus suis prospicit: quid suis dixi: imò verò dum Christianæ pietatis, salutis, & religionis in columitati consulit. Cum autē apud vos purgatum fese voluit, tum verò animi sui sententiam testandam esse duxit. Turcarum igitur Regem neque se excitasse testatur, neque cum eo ab aduersariis excitato statuisse rerum suarum summam coniungere: cæterum præterita fortuna, & præsenti adhuc rerum statu admoneri, ne hostem temere sibi illum (quo sibi pacato opus sit) ad superiora incommoda, ad superiores clades, velut additamentū intestinorū hostium ascisceret, in seque prouocaret. Sed illarum literarum tamē exemplar simul cum hac apologia idcirco ad vos perferendum modò curauimus, quod incertum nobis esset, an illæ vobis redditæ fuissent, an, ut sāpe de cæteris contigit, in itinere in-

terceptæ. Nec dubito quin quo iudicio & prudenteria polletis, qua rerū peritia & vsu omnia perpetritis, ipsius Regis cōsilia minime improbetis. Nā qui in rerum vestrarū consiliis agitandis prudētia & circunspectio vti soletis, circunspecto Regi prudentiāque prædicto nō conuenire iudicabitis, hostem talem tantūmque, quātus Solimanus est, vltro in sese irritare, vt principis nō modō minime sibi amici, verū etiam hostis infestissimi atque acerbissimi imperium cōstituat, vel tyrannidē potius stabilitat: præsertim cū nec adhuc usquā Rex in sua causa apud amicos & socios satis iustū modum æquitatis interpretādæ inuenerit, nec villam apud hostes immensæ cupiditatis, arrogātiæ, crudelitatis moderationē, ex iis quæ antecesserunt, se in posterum inuenturū sperare debeat. Solimanū verò quid fuit quamobrem in caput suum & fortunas conuerteret: Habet ille, vt perhibetur, nauales apparatus ingētes, classēmque, vt si qua vñquā, in Græco mari instructissimā & numerosissimā, quam classem in nostrā oram se appulsurum non obscurè fert. Nos autem dum à Cæsare grauiissimo bello & pericolosissimo distinemur, quid naūium tantæ classi opponamus, certe in promptu non habemus. Quin & littus nostrum quod hosti plus minus milia passuum ad quadringenta est expositum, cum per sese portuosissimum, eoque magis iniuriæ obnoxium est, tum vna exce-

pta Massilia, nulla in parte tractus totius, satis ad tantos impetus excipiendos munitū. Hæc quum sit rerum nostrarū conditio, nunquam vobis dissimulandum esse iudicauimus, pacem ab hoste in primis omnium formidabili oblatā minime repudiasse, quam si vltro tum appetiissemus, tamen consilium nostrum præsentium temporum ratio debet cōprobare. Sed pacem hanc tamen (ne forte hostium nostrorum importuna obtrectatio vobis obrepat) nec ab utilitate communi, nec ab honestate nostra remotā reperietis, quin potius temporibus nostris summopere necessariam. Quanquam ne Cæsareæ quidē ambitionis pœnas luere, si id in rem futurum Christianæ religionis videatur, recusandum esse putaremus. Verum ita suū animum antehac dictis factisque suis Cæsar, omnibus qui modō aliquid vident patefecit, vt amicitiam cum quoquis mortalem fortasse, inimicitias certe nobiscum immortales sibi esse constituerit, vt nihil ipsius ratione, cum æquitate pugnatius, nihil quieti publicæ & saluti infensiū existimemus: in eiisque sentētiā ire, id verò arbitremur esse perniciem publicā ac bellū ciuile perpetuū indicere. Enim uero si præclari illi Cæsarīs conatus, si bella ab eo suscepta eō spectabāt, vt Oriētis populi eius armis ad religionis nostræ partes adiungeretur: quin igitur subacta iam Africæ parte, in Asiā ipse, quod palam iactabat facturū, trāc-

ibat: atque id fieri quum deberet multorū iudicio ac opinione: Nōnne id & cōducibilius in vniuersum fuisse, & nomini Augusto splendidius, quām cupiditate detecta atq; animi impotentia, repente nullā ob causam satis dignam aut luculentā, Christianas copias in Christianissimā gentem vertere? Quod quid aliud fuit accurate rem expendentibus, quām collectā superioribus annis ex fortuna gloriā paucis mensibus effundere? Quid verò si ne nos quidem, quos nunc in inuidiā rapit, quum eū illud facturum alii sperarent, volūtati hominum & postulationi defuimus? Evidem memini Romæ hac de re cōsiliū haberī, in quo cōsilio quū multas ob causas, tum verò maxime ob vicinitatem loci (nam erat tum Cæsar ad Neapolim) multis magnisque de rebus tractatum est. In eo consilio præfuit summus Pōtifex, affuit amplissimus Cardinalium ordo, Legati Ferdinandi Regis, Legati Lusitanorum, Florentinorum, Genuensium, Lucensium, Iudæorū denique qui magno numero trans inauditos quosdam & incognitos Arabiæ (vt fertur) vltioris montes incolunt: quin & Venetorum ipsorū Legati, certatim ad eam expeditionē suscipiendam nomina dedere. Nemo erat omnium quin vires, opes, facultates, vitam etiam ipsam & sanguinem, in tam pium bellum se profundere velle diceret, præ se ferret. Tum rogatus sentētiā Cardinalis nomine Bellaius, quem ma-

xime cōscium Regis consiliorū esse constabat, ec- quid pro Rege Christianissimo polliceretur, respo- dit, Regem ad ea quæ iam diximus, in Pannoniæ tumultu oblata esse, addituru etiā triremes quin- quaginta, & nauium quæ ex Oceano maximæ & instructissimæ adducerentur, numerum ingētem: ac ne ipsum quidē Regē, si ita videretur, ab expedi- tione absfuturū. æquū proinde esse, vt ratio eius haberetur. Id quod postea re intellecta ipse Rex protinus cōfirmauit, sēque ea libenter præstaturū esse, quæ pro se Cardinalis ille recepisset, promisit. Hic enim uero peruelim, vt hoc mihi lepidi isti cri- minatores vnum explicēt, quæ causa fuerit, cur ad egregiam tot populorū, tot regum, tot ciuitatum voluntatē, aut potius pro rep. singularem animo- rum deuotionē, Cæsar id quod sc̄ tantopere depo- scere ostendebat & dictabat, (præsertim quū illi factū facile esset, & vltro etiā obuium) nō exequ- retur. Quid à nobis amplius, quid ab vniuerso or- be vel sperare vel desyderare potuit? Quod si hāc animi nostri egregiam promptitudinem in capi- tis crimen ac iudicium isti adducunt, si omnia ad arbitrium suum collata, à nobis causam fuisse exi- stimāt, quare inuisi omnibus & offensi esse debea- mus, quasi ab expeditione Turcica Cæsarem reu- carimus, quasi Solimanum in finium Christia- norum depopulationem ac vastationem vocae- rimus: iam ego quid potissimum in causa sequar,

quid fugiā, quid defendam, & quid refellam, quō
me vertā, ignorare fateor, cū isti rationē omnem
officii & culpæ, omnē æqui & iniqui naturā per-
uerterint, vt quid apud eos bonū sit, quid malū,
quid rectum sit, quid prauum, quāeve iis rebus vo-
cabula apta sint, iam intelligere non possim: nisi
hoc forte agunt, vt nos pro rebus iustis, pro offi-
ciis præstitis, pro ingentibus meritis causam dice-
re cogamur. Quid ita: nēpe quod ad rem Cæsaris
faciat, hoc in iudicio iustitiā accusari & probita-
tem, iniuriā & nequitia defendi. Hic locus est qui-
ritādi, vt videtur, & dei hominūmque implorādi,
& vestrā maxime, viri integerimi, æQUITATIS & iu-
stitiæ studiosissimi, fidē in tam inaudita insolētia.
Sed quoniā id è moribus gentis nostræ atque di-
gnitate Regis minime visum iri intelligo, non eò
me vehementiæ istorum indignitas impellet: nō
committam, vt istorū improbitate percitus, nō si-
milis esse mei, nō nostræ gentis meminisse morū
videar. Quanquā in hac cōtrouersia disceptanda
nō satis constitutū habeā, quid potissimū, quid pri-
mū, quid secundū ac deinceps defendā: nec verò,
quid in primis accusent: imò verò quid omnino
accusent, quid querātur, quid in nobis defuderet,
quid à nobis abesse velint, ignorē: cum ipsi in suis
criminibus nihil cōstitutum habeant & definitū,
nisi quòd summā accusationis suæ eò referunt, vt
maledictis, iisque falso excogitatis Regē Franciæ

ac gentis ipsius nomen cooperire obrueréque pos-
sint. Qui cum nostra benefacta in malefacta obtre-
ctādi iniquitate vertant, etiam sua ipsi vobis malefi-
cia pro egregiis in vniuersum religionis nomen be-
neficiis venditant: tanta est confidentia institutæ
calumniæ. Verum etiam si insolentiæ suæ finem
nullum faciunt, ego pro nostra consuetudine ta-
men, ne vestra facilitate atque æquitate in causam
nostram abuti videar, finem hīc secundæ faciam
refutationis. In qua probasse nobis videmur, non
modò nos hac modestia, hac animi perpetua libe-
ralitate gentem Turcarum in remp. non concitas-
se, verum etiam sua arrogantia istos & cupiditate
rem Christianam communibus hostibus & domi
& foris prodidisse seu (verius dicam) perdidisse.

Quod tertiu ex diuisione fuit, idque postremū,
quæso viri amplissimi, paucis ex me intelligere at-
tente ac beneuole, ne grauemini. Hoc verò ab ea-
dem mente profectum, qua suprà dicta, congru-
entis quoque cum illis est vaniloquentiæ. Quippe
Regem eundem tot aliunde calumniis onera-
tum, apud vos in inuidiam adducere hoc quoque
nomine conantur, quòd in Mediolanensem, quòd
in Sabaudiensem agrum, vestro, hoc est princi-
pum senatus Imperiique Romani iniussu inuaser-
it, eaque re sic Imperii vestri ius atque authorita-
tem lœfisse vociferentur, cum ii populi in vestra
sint fide, ac vestri, vt isti dicunt, beneficiarii: vt Rex

d.i.

vel hoc ipso maiestatis reus apud vos agi peragique & possit & debeat. Quo in accusationis gene-re mirari satis nō possum istorum hominum in-credibilem stupiditatem summa cum impuden-tia coniunctam. Qui enim Regem maiestatis po-stulant, illi quo maxime crimine apud omnes la-borant, eiusdem eum qui ab hoc quam longissi-me abest, insimulat: nec interim, credo, sentiunt à vobis viris perspicacissimis ea non posse non a-nimaduerti, sīcque proinde in hoc crimine se ia-ctant, sic exultant, quasi vestrum sit aliquis, qui nesciat post Caroli Magni tempora, qui primus Imperium Romanum inuexit in patriam, adhuc neminem fuisse: qui hunc Cæsarem non dicam su-perare, sed æquare quidem potuerit in dignitate Imperii ornamenti omnibus spolianda, euerten-da fortunis omnibus, ne dicam interuertenda; iis qui Imperii administrationi & maiestati atque gra uitati moderandæ præfecti sunt, in ordinem redi-gendis, ærarii opibus & facultatibus exhausti, atque dilapidandi. Cui enim non dico Au-stria ipsa, (cuius vos possessione atque clientela maiores eius defraudarunt) sed facta eius recentia non insident animo, vel potius versantur ante ocu los? quæ si ego non singula quidem illa(nam in-finitum esset ea commemorare) sed si ex tam mul-tis ea saltem vulnera commemorabo, quæ in Ita-lia, Florentia, & Pisæ: in Germania, Traiectum &

Virtemberga ab eo acceperunt: & si vos ea(vt faci-tis) recordamini, dissimulate nunc si potestis, po-pulo Florentino, atque Pisano libertatem à Caro-lo Magno Imperatore vestro datam, aliorum de-incep Imperatorum beneficio omnium conser-uatam, his proximis annis nulla vestri habita ratione, vtrique populo per vim Cæsarem ademis-se, & mox tyranno contra iusurandum, contra Imperatoris fidem & officium mancipasse, deinde pretio accepto eidem in numerum dotis at-tribuisse. nam res Traiectensis quando ea quidem palam est, & oculis vestris exposita, eò leuius at-tingenda mihi est. Neminem enim vestrum la-ttere puto, qua arte Traiectensi episcopo patrimo-nium omne subduxerit, non quidem vt inopi & mendicæ plebi, vel certe iis qui præ egestate litera-rum studia tueri nequeunt, erogaret: sed vt totum hoc in priuatum finum auersum sibi suimeret, aut potius consumeret. In causa sane Virtembergensi, mirum, ni quod egit, satis animaduertistis: opinor enim quale fuerit, vos vidisse: atque à vobis est hoc pro rei natura & authoris ipsius ingenio per-spectum. & tamen id facinus nec prohibuisse vos, nec admissum vindicasse, certum est: si quidem ea vera sunt quæ multorum sermone, rumoribus etiam ad nos & fama perlata sunt. An vobis hoc pa-rū visum est, dignitatis Imperii, & utilitatis publi-cæ cupidissimis, tantam prouinciam ac tam nobilem

de Imperii clientela obliquè esse istorum artificio exemptam: cuius Imperii beneficium eo iure erat, vt aut siquid forte esset à cliente contra fidem beneficiariam admissum, aut si ad eum casum res deuenisset, vt in familia clientelari mas nullus superstes esset, ager ille fieret publicus Populi Romani. At id ius omne ita est interuersum à Cæsare, vt totum in gentilitatem Austrianā iisdem conditionibus transcriptum sit, pacto an peccato dicam, nescio: certe quidem cōtra ius, contra æquum & bonum, contra morem maiorum. Id quod eo est & indignius, & multo etiam minus tolerabile: quod ea fraus in captionem Imperii conflata, in accessionem Ducatus Austriae futura sit. Quæ Austria cum ante Maximilianum Cæsarem in fide Imperii Romani eodem, quo Virtembergensis ager iure esset, ab illo ipso Maximiliano fide liberata, clientelæ immunitatem summa fraude & flagitio Imperatoris vestri consequuta est. Quæ tum iura Imperii vestri, non ab exteris nationibus, non ab hostibus tentata, sed ab Imperatoriis vestris nimia omnino (quod pace vestra dixerim) ac plane dissoluta connuentia, crepta sunt Imperio. Quo in scelere existimo vos, amplissimi viri, minime esse hallucinatos: sed ea temporum ratio superiorum extitit, vt facilis fortasse fuerit eius improbatio, sed difficilis intercessio. Nam illud insigne, in Comiti Carpenſi iniuria facta

nūc, vt arbitror, magnitudine suprà dictorū obscuratū vos effugit: in quo tamen ipse Cæsar nō modò aut Imperii vestri maiestatē violasse, aut Christianæ religionis authoritatem, societatem, piatem contempſisse: verum humanitatē etiā omnem (quod in eo fuit) deleuisse videtur. Erat vir ille, vt nostis, non modò gentis imaginibus, opibus, vitæ innocentia, & morum probitate, ac doctrina singulare, tota Italia clarissimus: vetumetiā atatis iam grauitate, & quod sartum & tectum ab omni violentia præstare eum debuerat, valetudinis perpetua infirmitate, membrorum omnium debilitate, minime ad injuriam opportunitus, indignusque omnino qui villo inhumanitatis genere afficeretur. Verum, credo, cum hæc omnia Cæsare minus inhibere potuerint, vt manus à grauissimo & sanctissimo viro, propter tot causas abstineret: nō vulgaris aliqua ratio eū induxit, vt vim nobilissimo illi homini nihilominus inferret. Obscro vos igitur viri principes, rem vt totam cognoscere velitis. Fuerat ille inter clientes Imperii Romani in primis nominatus, cum apud Romanum Pōtificem Regis Christianissimi legatione fungeretur. Apud quem Pontificem per Deum immortalem cui populo, cui nationi, cui Regi, cui denique Christiano homini, Legatū habere: aut cui denique homini & nunc & antea, non sit, non fuerit, non olim futurum sit oratori esse liberum? At in hoc viro ta-

mēn, exempla maiorum & instituta Carolo mīni
me sequi vīsum est. Siquidem quasi violato hoc
vno nomine iure publico, authoritate Imperii Ro-
mani ludibrio habita, grauissime ille tulit, velsimu-
lauit potius, quōd cum in fide Populi Romani es-
set Carporū comes, iniussū Imperatoris pro Chri-
stianissimo Rege legationem suscipere ausus esset.
Eo homine quid futurum esset, huiusmodi de cri-
mine quid ipse statuturus, non magnopere quiuis
anxius esse debebat (vt quidem ipse reor) qui & Cæ-
sarem nouisset, & culpæ genus intelligeret. Cre-
deres obiurgatione contentum hominem fore, &
verborum castigatione, si non qualibet, certe seue-
riuscula. At id aliter homini vīsum est. neque e-
nim satis habuit, aut Imperatore dignum esse cen-
suit, admonere hominem durius, & grauius re-
prehendere, comminari etiam insolentius vt des-
isteret, ac nequid tale moliretur in posterum. Hoc
ille quidem parum ad iniuriam iuris communis,
parum ad libertatis contumeliam esse iudicauit:
tametsi id omnes merito iniquissimi & arrogātis-
simi Imperii esse existimarent: videlicet id ab isto
reprehendi, quod non tantum moribus omnium
& institutis receptum & vīstatum esse probaretur,
verum laudandum etiam esse summopere inter
omnes constaret. Existimo vos, viri amplissimi,
nihil grauius in huiusmodi culpa, seu crimine ad
speciem exaggerato expectare, quam vt rem ab o-

mnibus receptam atque probatam Cæsar quam-
libet infensus, suis decretis & condemnarit & ab-
rogarit. Hoc verò quanto grauius est, quanto ad
iniquitatis memoriam insignius, quōd vir in Ita-
lia princeps, vir summa nobilitate, summa autho-
ritate, summa dignitate præditus, vir cuius vel hu-
manam quanuis culpm, valetudinis (vt modo di-
cebam) imbecillitas, debilitas membrorū omnium,
ætas ante annos affecta, & ea ipsa tamē canitie ma-
tura venerabilis deprecari debuisset: vir inquam il-
le, qui & ingenii & morum ornamenti, qui vitæ
per virtutem actæ patrocinio meritæ quoque pœ-
næ eximendus erat: qui ob senectutem iam confe-
ctam & emeritam sacrosanctus huiusmodi legum
sanctionibus esse debebat, (prò sancte I E S V) è la-
re suo familiari, ex auitis sedibus, è patriis posses-
sionibus, fortunisque omnibus in Regis inuidiam
eiicitur, exigitur, deturbatur: quō innocentior &
indignior tam fera crudelitate, eò non meo tan-
tum, sed aliorum multorum iudicio miserior:
tumque ex omnibus fortunis, imò verò ex ipsa lu-
ce communi & spiritu eiicitur, quum nullo ex-
emplo, nulla probabili ratione, indicta causa dam-
natus est. Quo autem iniuria esset cumulatior, no-
xa caput, quemadmodum apud iurisperitos dici-
tur, sequuta est. caput nunc, ipsum Cæsarem voco;
qui Carpensem principatū Imperio Romano pu-
blicatum adiudicauit, vt litem suam faceret, quam
d.iii.

homini infanti speciose intentādam curarāt. Iam non ego quidem miseri illius Comitis fortunas, nec pristinam gentilemque dignitatem per summam indignitatēm eruptam, nec acceptam illam miserabilem calamitatēm deploro, neque gentis nostræ, neque Christianissimi Regis propinquissimi odium conqueror: verum hac tota de re iuris gen-
tium calcati insignem contumeliam, Imperio Ro-
mano maculā inustam & labem Christianæ pie-
tatis necessario dolore concitatus profero. Nam to-
tum illud, quod sequitur, multo impudētius & te-
trius, licet ad omnes quidem homines in vniuer-
sum, verum quadam in parte tamen præcipue ad
vos pertinere arbitramur. Siquidem ager ille cum
factus esset publicus, vis illa quidem tanquam ve-
stri Imperii acerbitas quædā & iniuria, tametsi ne-
mini vñquam toleranda esse visa est, tamen quod
esset nomine vestro adumbrata, quod Imperii Ro-
mani authoritate subnixa, leuior ea causa tolera-
biliorque videbatur. At verò cū est à Cæsare quasi
auctionante, non obscuro bonorum & grauium
omniū gemitu, si non publicè, at domi tamen pro-
scriptus & addictus liceti Potentatus: dici non po-
test, ne cogitari quidem, quanto altius omnium in
visceribus sensus ac dolor indignitatis illius infe-
derit, cū eo ventū esse videretur, vt nihil tam suum
cuiusquam, tam mancipio quæsitū esset, quod non
precariū esse cœpisset, ad quod libidini Cæsarī &

rapinis aditus esset aliquis patefactus, intra cuius
parietes diuinarum omnium rerum & humana-
rum domestico quidē illo & familiari scelere nun-
dinæ essent institutæ. Verum id quod ad vos præci-
pue attinet, viri principes, vos mihi locupletissimi
testes estis, an pecuniā illam ex miseri illius homi-
nis visceribus & cruce redactam, postea expēsam
reip. tulerit, aut acceptā vobis ipsique Imperio re-
tulerit. Id quod si ipse faciendum duxisset, facino-
ris grauitatem aliquantum eleuaret: quasi non sibi
iniquus & crudelis, sed Imperio & maiestati Augu-
stæ esse meditaretur. Sinite igitur vos hac de re in-
terrogari, ecquid vobis ille visus sit ex calamitosissi-
mi senis manubiis, rei publicæ commoda aut redi-
tus Imperii auxisse. Sedenim molestus esse nolo:
non exprimam vocem inuitis, & verecundantibus
ipse pro vobis respondebo, non retulisse illum: nec
si retulisset, si innocentia vestram bene noui, hanc
tam ignominiosam, tam funestam & quasi miseri-
& innocentis sanguine redundantem pecuniā pun-
ctum tēporis apud vos residere pateremini: sed tan-
quam ad vos inauditæ illius & incredibilis inhu-
manitatis labes & contagio quædam delata esset,
aspernaremini. Quod igitur non vestra ille autho-
ritate, sed sua ipsius audacia partum esse cognoue-
rat, id nec vobiscum communicandum esse duxit,
sed sibi vni assignandū. Quanquam quis hoc vñ-
quam non dicam Christianus, sed Romanus Im-

perator ausus est: Siquis vnquam de publico auertere conatus est, id ille nec per se, nec palam, nec in manifesto facinore, sed per magistratus cupiditatis sux administratos, sed occulte, sed specie aliqua vel honestatis vel necessitatis obtenta tentauit. At vero hic nummarius Populi Romani Imperator ducenta illa aureorum ducatorum millia, vel plus etiam aliquanto, quæ ex miseri illius Comitis capite redegerat sub publici nominis velamento, sibi met ipse quasi suo iure vendicauit. Quare hac in parte saltem huius causæ, in eoque criminis disceptando, non seueritatem tantum iudicum, sed inimicorum etiam & accusatorum acerbitatem & vehementiam suscipere debetis. Neque enim quo animo esse huius criminis iudices debeatis, dubitare possum, cum ad vos potissimum Imperii Rom. sanctitas, & publici iuris tutela dignitasque pertineat: quos etiam apud aliū iudicem aciores, quam ego sim, actores & accusatores esse oporteret. Hoc loco fortasse reclamabut aduersarii nostri, vehementiorēsque assurget: enim uero nos nec lege, nec moribus agere, qui accusationem pro apologia scribamus, institutamque defensionem obiectorum nobis criminum inchoatam derelinquentes, in recriminationem sensim delapsi simus. Et nos quidē, quoniam æquum esse existimamus, non aduersariorum exemplis huiusmodi causam nostrā (quam summorum patronorū exemplis receptum

sit & legitimū) vñà cum defensione referē aduersariis criminum quæstionem, tamen innocētiæ argumentis & signis exponendis & explicādis libenter indulserim, vt nihil tale à nobis ne cogitatum quidem esse doceamus, nec in Mediolanensi causa Regem Christianissimum quicquam, quod vos offendere beat, esse aggressum facere. Neque enim in eum agrū (quod isti pro solita maledicendi & mentiendi consuetudine affingunt) inuasit, vt cōstat: nec si inuasisset, quicquam vos cum illo eo nomine expostulare potuissetis. Iure enim hæreditario ipsi obuenisse illius agri dominium, altera illa apologia mihi quidem abunde probauisse videatur. Atqui per vim & iniuriā raptā, vi & armis repetere, iure tum gētium, tum ciuili Romanorum, tum Pontificum licet. Hæc autem iura tam nota sunt, tam cuilibet vel imperito audita & comperta, vt nulla re magis quam communi omniū persuasione, & sensu possint confirmari. Quod porrò ad ius Imperii attinet, siue id clientela, siue beneficium Populi Romani appellandum est, quod isti inuestituram suo vocabulo appellant, vtinam autem quale id est cunque, aut quodcunque vocari debet, non tanti pridem nobis Maximiliano Imperatore constitisset: aut si id factum oportuit, vtinam inquam dum ius nostrum toties, & pacem publicam ab Imperatoribus vestris immani pretio redimimus, eius pecunia portio aut in reipublicæ,

*fendenti nō liaro
impari. 83 ad alii
in liaro si modis fieri*

aut in vestra cessisset commoda: si tamen hoc vestra amplitudine vestrae virtute non indignum existimatis. Non enim vniuersum illud nobis, quo iure quāve iniuria ablatum pretium confessim in nostri capitī & regni huius perniciē vertisset. Verum enim uero huiusmodi rerū nobis quidē pœnitendarum, illis autem pudendarum commemoratio in querimoniarum formulam aptius concipi potest, quām in verba vota facientiū. Quare voce iam optantis non vtar: neque enim in præteritū aut illis aut nobis ius est, vt ea induci senatus cōsulta, & facta infecta fieri possint. Cur autem nunc de bello Sabaudiēsi nobis molesti essent homines isti sapietissimi, prorsus nihil fuit. Neque hac de re mihi magnopere apud vos laborādum esse existimo. Quid enim tam ridiculum est, quām quoties bellum cum aliquo de finium vel hæreditatis controuersia necessariō ab aliquo suscipitur, hoc statuere? Qui Senatus iniussu se digitum vnum cōmouerit, vt illius nomen vel absentis ita recipiatis, vt apud vos capitalis rei, apud vos perduellionis reus sit, aut hostis à vobis iudicetur. Id cum neque moribus vsquam receptū est, nec maiores vestri tam iniquam legem, tam duram, tam contumeliosam sanxerunt: tum profectō existimo vos, si res integra ad vos delata fuisset (quæ vestra est æquitas) secundum Regem omnino sententiam fuisse laturos. Itaque Rex ereptam progenitoribus suis per vim

maternam hæreditatem, vi quoque quando aliter non poterat, censuit repetendam: cui si facultas ipsi fuisset cōtrouersiæ iudicio dirimendæ, iāndiu cum Duce auunculo, iudicio expertus esset. Lōge enim illi fuisset optabilius recuperatoribus ab eo datis, cui dandi ius fuisset, re iudicio concertata, ad pacatam hæreditatem integrāmque peruenire, citra cædem & sanguinem, quām belli laboribus, sumptibus, & iacturis vexatum ad eādem illam direptam & exhaustam, atque omni belli clade deformatam Marte non incruento irrumpere. Age nunc, viri principes, iudices illi feramus, quoscunque æquitas vestra prudentiāque censuerit, ni per eum factum sit, quominus res nobis repetere iudicio non licuerit: neminem vt iniquum nobis, reiiciemus, qui æqui boni consultus magis, quām iuris istius Imperatoriī sit, id est iuris quod Cæsar sibi dixit: neque verò vos nobis eum iudicem esse debere censebitis, qui Mediolanum nobis per summā iniuriā abstulit, & maiore etiam nunc iniquitate retinet: nec vllum à nobis redditū in Italiam in hæreditatem nostram non modò postulari, sed ne sperari quidem permittit. Nā quid eò effet iniquius? Verum quid faceremus? ad vos cū id maximopere cuperemus, Legatos mittere non poteramus. Quid quòd ne tabellariū quidem, cum itinera nobis obstrūcta, cum omnes ad vos aditus nobis interclusos comperifsemus? Vos certe mihi testes optimi estis, viri am-

plissimi, hoc toto triennio Regem tentare non destitisse, siquo modo tandem suæ ad vos iustissimæ querimoniaz perferrentur, siquo posset modo fieri, vt de omnibus controuersiis, quæ sibi cum Cæsare intercederent, disceptationem susciperetis. Quod ille non modò ne fieret obstitit: sed ne ad vos querelarum nostrarum, suarū iniuriarum nūtius perferretur, omni etiam ope atque opera vt prohiberet, enixus est: vestram nimirum æquitatem sapientiāmque veritus: id quod satis, vt spero, cōperistis. Neque h̄ic libet labores commemorare, pericula recēdere, quæ quidā ex nostris hominibus, quæ O-ratores ea de re ad vos missi adiere. Vetera illa, quorū sine dolore & acerbo quodā cōtumeliæ nobis illatæ sensu meminisse non possum, prætermittam. Hoc vnum tantum etsi maxime dolet, tamen operæ puto esse pretiū exponere, quod paucos abhinc mēses accidit. Id fere est eiusmodi: Cū literas ad singulos ordinis vestri Rex dedisset, quibus literis senatū sibi media in Germania dari flagitabat, apud quem ageret partim de cōtrouersiis priuatis suis, partim de summa reipub. nominis Christiani: (nam rerū suarum cōtrouersiam, nō minus quām vniuersitatis, per vos disceptari concupierat, vestrum sapientiæ tum æquitati confisus): videte nunc etiā atque etiā obsecro, quām semper, quū æquissima postularemus, inquis aduersariis nostris vñi simus. Qui nostras tali ac tāta de re, tam necessaria,

tam iusta, literas ferebāt, eorum partim aut Cæsarīs aut Ferdinādi edicto finibus vestrīs prohibiti sunt & exclusi: partim, vt non vanis cognitum est testi-moniis, crudeliter necati. Sed hoc ab istis ex more suo perfectum: quod etsi non grauissime ferre, in re publicæ vtilitati tam idonea non possumus, hoc nobis tamen multo grauius fuit, & insolentius vi-sum est, quod ex ordine vestro, vnde nihil tale futurum neque in nos, neque in rempub. Christianam timueramus, inuentus sit, qui nuntium Regis Christianissimi, qui ei literas de re ad communem reipublicæ Christianæ vtilitatē pertinēte red-diderat, mox in carcerē tēterrimum, vinculis grauissimis oneratum, inhumanissime cōiceret, prius tamen capitis denūtiato supplicio. Sed & custodia illa, vt dicitur, loci ipsius horrore & illuie atque situ, crudelissimi cuiusdam tyranni carnificinæ accommodata videbatur, quam inhumanitatē, non dubitamus istum vestrum in Cæsarīs gratiam ad-misisse. Itaque ab illo misero, qui in carcere erat, nihil leuius morte expectabatur. omnia in se tormē torum genera exquiri intelligebat. Sed eo ipso die, qui ad suppliciū illi erat constitutus, nec misericordia cuiusquā, nec vlla humana ope aut cōfilio, sed singulari potius Dei immortalis beneficio seruatus esse iudicatur. Deum ipsum immortalē testor, viri amplissimi, libēter me pro instituto nostro facturū fuisse, vt nomē eius filētio prætermitterē, qui flagi-

tium hoc cōmiserit. verū & officio meo & fide quā huic causæ præstare plane debo, ne hoc prætermit tam, inhibitus sum, & multo verò magis causa vestra: nēpe vt vos exemplum hoc detestati, diligenter posthac, nequid fiat simile, prouideatis. Ioachimus Brādeburgenſis Marchio nulla à nobis re lacessitus, ne verbo quidem vlo: eadem qua vos nobiscum, necessitudine coniunctus: ille inquam Marchio (quando nomen eius proditū oportuit) quantum in se fuit, Regium nuntium omni genere tormentorum excruciatum necauit, nullam aliam ob causam, quām quòd ad eum de repub. Rex, & Rex Christianissimus, de re etiam priuata scribere per eum ausus esset. Ille quod honoris maximi causa factum erat, quod necessitudini summæ datum & benevolentia, pro iniuria & malevolentia habendum esse censuit. Quo facto, non modò antiquissima foedera inter maiōres vestros Frāciæ Regum progenitores, & Reges ipſos Frācos icta, tot annos sanctissimè seruata violauit: verumetā ius ipsum gentium, quod idem naturæ ius est, in tabellario Regio in vincula coniiendo, & omnes humanitatis leges infregit: eò quoque etiā crudelior & inhumanior barbaris omnibus, quòd postquam misser ille forte diuinitus oblata ē vinculis ereptus est, non plus apud eum fortunæ illius diuinæ benignitas, quām humanitatis eius ratio, authoritatis habuit. Sed præmia multiplicia proposuit, qui latitan

tem, & fame ac frigore (vt coniicere est) exanimatum hominem ad se retraheret: cámque in conquirendo diligentiam adhibuit, vt nisi prouidentia rerum huiusmodi arbitra, hominem calamito sum furori eius subduxisset, exēplo ille quopiam abominando sublaturus eum fuerit. Affuit miserо mire numen diuinum, fugitānsque & pauore exanguis, non mortem, quam optabat, sed tyran ni principis iram fugiens in latrones incidit, vel seruatrices potius latronum manus inuenit. Sed enim facinus detestādum abunde est quoquomo do indicasse. quare digressiunculam parum festiuam abrumpam, vt eò quod agebatur, redeam: ne scilicet in re Mediolanensi vel Sabaudienſi discep tanda cuiusquam modo non iniqui, iudicis arbitriū refugisse Regem Christianissimum putetis, cum, ne ad vos res integra deferretur, si deferenda fuisset, & temporum & hostium iniquitate factū esse videatis. Nam quos tandem iudices aut arbitros Rex inuenire tum posset, quibus æquis vtere tur, aduersario Cæſare ob res paulo secundiores terram cælumque territante? Cæterum quòd in direptione oppidi Mōtis Luelli inita inter nos foeda violata esse obiiciunt, quòd res nōnullæ mercatorum vestrorū à militibus direptæ sunt: id verò totum est eiusmodi, vt ab homine quopiam vaniloquo & sycophanta confictū esse videatur, aut mendacio permixtum, & verò quod exacte quæ-
e.i.

fitum non fraudi nobis apud vos, sed laudi futurum sit. Quem enim ea in re expostuladi locum Rex videri potest reliquise: cum quicquid fuit vel mercatoribus illis, vel negotiatoribus in direptione eruptum, id sicubi cōpareret integrū, Rex vt restitueretur curauerit: quicquid deperierat, vel fuerat corruptū, vt cuiusque de suo æstimatio ad nūmū persolueretur: denique vt quicquid fuerat detrimenti acceptū, quanti cuiusque interesset, tantū ille auferret: vt meo quidē iudicio nec consuetudini suā, nec animo suo in vos, nec fidei suā, nec cōstantiā, nec grauitati potuerit cumulatius satisfacere. Absoluta sunt tandem aliquando illa tria, viri principes, quæ ab initio suscepimus refutāda, ex quibus vobis, vt opinor, cōstitutit nihil fuisse aut opera, aut mandato Regis factum, quominus Cæsar in rebus aduersus Turcas gerendis operam nauaret bonā, strenuam, & utilem reipublicæ Christianæ, religioni ac pietati à seruatore nostro nōmē, authoritatem, originēmque habenti. Contrā verò, Regem ipsum religionis ipsius causa omnia cupientem, sic animo comparatum fuisse, eam egregiæ volūtatis significationem non obscuram dedisse, sic palam testificatum esse, vt si per Cæsarem licuisset, omne studium, omnem curam, omnes copias, in causam communem optima fide collaturus fuerit: tantum abest, vt sciens ac prudens Rex Christianissimus tam præpostere de se-

metipso, de penatibus Franciæ clarissimis, de liberiis, de hæredibus tanti regni, de nepotibus, de nomine denique Francorum, pietatis retinētum in primis atque reuerentium mereri instituerit. Tantum verò Rex ab ea voluntate alienus fuit, vt vlla in re Imperii Romani maiestatem atque authoritatem vestram violare contenderit, vt etiam omni offici, fidei, diligentia genere, & semper coluerit, & in posterū, quoad per vos licuerit, colere constituat. Vos itaque per libertatem communem, per fidem & amicitiā atque necessitudinem, tum Christiani nominis, tum generis ac sanguinis nostri obtestor, vos per C H R I S T I religionē, per pietatē obsecro, viri amplissimi, ne Regis hīc tantūmodo nomen, aut Francorū opinionem tentari existimetis, sed rem etiā agi vestram arbitremini, existimationis hīc vestræ, æquitatis, honestatis, utilitatis iudicium fieri. Hoc denique nūc solicite expectari, publicāne cōfiliī vestri autoritate, importunissimi homines iniquitatum suarum atque iniuriarū authoritatē constituant & sanciant, atque innocentiae præsidia vobis con niuentibus intercludāt, an potius istic more à majoribus vestris tradito, non nobis tantum, sed reliquis Christianis nationibus, sed cōsensui & cōcordiæ bonorū & fidei, denique & æquitatis cultoribus, spes aliqua iuris sui obtinendi reliqua sit. Hac etiam in causa existimetis impotentia istorum &

insolentiam per fortunarum nostrarum strages ad libertatis vestræ ruinam , gradum sibi facere , aditum & viam munire constituisse . Ac multa quidem recensere possem, si necesse putarem, quæ nobis iure communi omnibus vobiscum intercedunt, quibus tanquam retinaculis charitatis universum nomen Christianum complecti æquabili nexu soletis. Est autem nostrum id iam non commune, sed peculiare & singulare, quod nos de vobis benemeritos esse bona vestra venia(nisi fal lor) vel gloriari vel prædicare possumus. Et quidem quod stemma regium ad maiorum vestrorum originem referimus, ut generis propinquitate aliqua necessitudine arcte coniunctum , id profecto ad vos priuatim, viri principes, attinet. Quod vetero & maiores Regis & Rex ipse ex quo diuina benignitate regno auctus est, libetissime fecit, atque cupidissime, quandocunque res communis poscere visa est, & tempora eius ita tulerunt, vt bene ac prolixè de nomine Christiano mereretur, id iam communem causam habet & latissime patetem. Et Christianissimi quidem Regis ea semper fuit æquitas, eaque moderatio animi, vt neminem unquam cum posset, atque incitaretur à nonnullis, per occasionem ullam iniuria affecerit , certe ipsum Carolum in ipsius regni auspiciis cum facile deturbare de vtriusque Siciliae regnis potuerit, noluit: quin & illum rebus eius male pacatis pro-

texit, ornauit, auxit, filii loco habuit: à quo postea rerum potito & prosperis rebus elato contemptus, nullum damnum, nullam contumeliam acceptam ab eo , non humanius fortasse quam par erat, & negligentius tulit: videlicet Rex æquus & bonus , in dignitatis atque amplitudinis vestræ gratiam , necessitudinisque reuerentiam sibi vobiscum intercedentis, & alioqui rei Christianæ affectus suos dedens, quod parum sibi cessurum honori videbat, honestissimum nihilominus ac velut decorum esse duxit. Idem Rex, quo Solimanus Christianorum hostis à nostris ceruicibus cōmuni omnium consensu depellēretur, apud eos qui possent in republica plurimum, assidue institit, opes suas omnes , vitam etiam non semel intam piam ac salutare expeditionem obtulit. nunquam non dignitatem vestram ac Romani Imperii nomen coluit, foedera tot sacerdorum à maioribus nostris accepta, quæ illi vobiscum intercedunt, sanctissime seruauit: singulorum etiam Germanorum ita coluit amicitiam, vt nullum honoris, nullum obseruantiae genus, in quenquam eorum quos ornare potuit prætermiserit, quod posset à Rege omnium humanissimo profici sci. Hoc postremo perfecit, vt non tantum maiorum suorum apud vos authoritate & gloria , sed sua potius virtute & beneficiis niteretur, vt se & vobis & optimis quibusque aucto illo Regis Christianissi-
e.iii.


mi nomine quam dignissimum probaret. Agitatum conferte eorum facta cum nostris, iam inuenietis omnia iis contraria. Istorum enim proprium est, ne plura dicam, quod haec omnia pro nihilo semper habuerint, cōtempserint, calcaerint. Hoc igitur à vobis, viri principes, impetrandum habemus & exorandum, vt si ii erga vos fuisse videmur, qui fuimus, & quales esse debuimus: si nos originis nostræ nunquam fuimus immemores, si nunquam ab ingenio vestro, si nunquam ab indole atque virtute auorum communium degenerauimus, si semper in officio fuimus, neque unquam ab honesto declinauimus: si contra illi alieni à vobis, si barbari, nihil vestri similes, nihil quicquam dignum vobis præ se ferunt: hunc regem vobis consanguineum & socium, vobiscum idem sentientem, pro officiis eius & meritis, proque vestro more generoso amplectimini, vestris inquam studiis ac fauore prosequimini: antiquam inter nos amicitiam, quemadmodum ille, ita vos quoque vicissim religiosissime colite: néve vt exteris indulgeatis, necessariis & propinquis duros & acerbos vos exhibitote: néve nos vobiscum arctissimo sanguinis pignore, & originis eiusdem vinculo coniunctos, alienis hominibus proditote: quod omen deus auertat. quos si nullam aliam ob causam, certe auitæ, atque, vt sic dicam, proauitæ, vetustiorisque memoriaræ gra-

tia tueri & protegere debetis, atque istius amplitudinis & authoritatis scuto sartos ac tectos ab omni noxa præstare. De nobis autem hoc vobis ipsi persuadete, ita nos animo comparatos esse, vt si quando etiam (id quod ominari nolim) incommoda aliqua suspicio, aut obtrectatorum nostrorum factio, in perniciēmque nostram coitio, aures nobis vestras obstruxerit, aut benevolam istam mentem à nobis auerterit, nunquam tamē immemores futuri simus, vt antiquæ & auitæ, ita vicissitudine officiosa obsequiosaque confirmatae necessitudinis atque amicitiae.

Reuerendissimi, illustrissimi, inclyti, magnifici, spectabiles, & prudentes, sacrosancti Ro. Imp. ordines, Deum Opt. Max. deprecor, opes ac dignitates vestras perpetuò vobis vt fortunet. Ex castris ad Contæum Belgicæ vicum. Die V II. Maii. M. D. X X X V I I.

Apologetica cuius-

DAM FAMAE REGIAE STVDIOSI
epistola, qua de rebus inter Regem & Cæsarem
controversis ad interrogationem amici respon-
detur.



AMETSI mihi, ami-
ce optime, tuis ad me
literis, quibus de immi-
nente aut cœpto iā po-
tius inter Regem meū
ac Cæsarem bello quæ
sint vestrorum homi-
num iudicia significas,
sicut varie ita vehemē-
ter affecto, visus es causæ Regiæ paulo atque vel-
lem iniquior, tui tamē te similem semper in om-
nibus præbuisti, hoc est syncerū semper & plane
candidum. Et sanè quòd Cæsari tuo prop̄s̄ius fa-
ueas, non admodum quidem ego cōmouebar, vt
qui probe scirem, ferè vsu esse ac natura compa-
ratum, vt quorū quis sub imperio ac ditione vitā
debat, iisdem ipse vtplurimū faueat, & corū cau-
fas enixius amplexetur. Sed quòd esse tibi quo-
dāmodo persuasum intellexi, omnē omnino cul-
pam abesse à Cæsare: contrà, Regem meum eo-
rum criminum affinem esse, quæ obiici illi ad me

scribis: hoc verò tam me commouit initio, quām
postea recreauit, quòd tu de iis omnibus, quēad-
modum à principio gesta & cōtracta sint, percon-
tandum esse me duxeris. Ex eo enim cœpi coni-
cere, siqua in animo tuo infederit de Regia volū-
tate minus æqua persuasio, eam tamen haud per-
inde valuisse, neq; velut radices altius egisse, quām
vt veritate patefacta euelli atque eradicari posse
sperem. Alioqui enim si, quoniam Carolus dixe-
rit, continuò Franciscū sine vlla dubitatione no-
centem esse iudicares, frustra earum rerum expli-
cationem, atque vt se habeant, quæsieris. Quum
igitur omnia eius nō facta tantummodo, verum
etiam consilia, tibi tuique similibus probari cu-
piam, quorum ope apud omnes constaturum illi
spero innocētiæ suæ fructum, nihil libentius hoc
tempore facturus sum, quām vt tibi morem in
hoc geram, atque ad ea capita sigillatim respon-
deam, ex quibus præcipuā illi conflatam esse scri-
bis inuidiam. Etsi enim nulla mihi huiusmodi
prouincia existimationis Regiæ à falsa crimina-
tione defendēdæ à quoquam est mortalium de-
mandata, atque ob id nō sum perinde instructus
ex libellis, chirographis, & literis Regiis: tamen
ipse per me satis abundéque paratus esse mihi vi-
deor, & hoc Regi meo me debere intelligo, pro-
eo quanti eū facere scio, bona esse apud vestrates
existimatione. In hac itaque parte defyderio tuo

satisfaciam, nec officio deero meo : quin confido etiam ita me rem tractaturum , vt nisi longe me fallit opinio, demonstratus sim, quæcunque tu in eū intendi scribis , omnia illa quidem vel omnino cōmentitia, atque morbo quodā animi potius quam iudicio sceleratissime conficta esse, vel nō ita certe criminosa. Iam primū quod ex me scire aues, ex tā variis nec inter se cōsentientibus quæ misisti ad me, quasi cōtestationis cuiusdā Cæsarex exēplaribus, qua in Regem Cæsar ipse apud summū Pōtificem & Senatū Cardinaliū inuectus est, quodnam eorū accedere proximè ad verā eius orationē existimem: ego proculdubio, quoniā eo tempore Romæ nō fui, nihil tibi quod pro certo habeā, respondere possum, neque ullū eius exemplar adhuc legere memini , in quo veritati nihil quicquam vel detractū, vel additum affirmare au sim : adeò mihi valde multi vidētur in iis omnibus pro suo quisque & ingenio & libidine quædā immutare, quædā amplificare, quædā imminuere voluisse. Inueniūtur enim hoc præsertim infelici sæculo, homines (vt aiebat ille) inimici otii, fama naufragi, qui quoniam nullæ in tranquilla & sana rep. eius administrādæ partes eorum esse possunt, ægri semper aliquid esse velint, & tēpestatem aliquam excitari, vt sit cuius ad curationem adhibiti fibi nomē parent, vel in recip. procellis & turbulentis rebus portum ipsi aliquem ex priuatis suis

malis inueniant . Id quod accidisse in hac causa meo quidem iudicio tempus declarabit . Etenim permulta legi passim nomine Cæsaris euulgata, quæ vt credam in mentem illi vnquam venisse, vt tam falso scilicet atque impudēter in quenquā affingeret mortalium, nedum in Regem & affinē suum, nulla prorsus adduci ratione possum. Verum, vt ne ad tuam hanc petitionem prorsus nihil respondeam, hoc habeto : legisse me quidem aliquando literas , quas ad Regem Christianissimum duo eius Oratores, alter apud sumnum a gens Pontificem, alter apud ipsum Imperatorem, ea de re cōmuniciter scripserunt: quæ literæ, si Germanicum exemplar quod misisti typis excusum, fideliter mihi expositum est ab interprete, nō admodum mihi videntur ab eodem exemplari discedere. Regis autem defensio, quæ attexta eidem exemplari vulgo habetur, quantum ego memoria possum repetere, mihi videtur fideliter esse vera. Eius verò (vt ne posthac dubitare possis) vbi pri mum in Galliam me recepero, descriptum exemplar ex ipso (vt sic dicam) autographo tibi me cū raturum recipio. Sed iam ad crimina ipsa veniamus, ex quibus in primis esse Regi meo cōf latam inuidiam amicē atque ingenuè admones: & quod est omnium primum, clamitat Ludovicum Regem Francisci sacerorum fidem Maximiliano Cæsari datam fefellisse, quod Carolo ejus nepoti

Claudiam filiarum suarum natū maximam non dederit in matrimonium: quam vt illi scilicet desponderet, Mediolani Principatū à Maximiliano impetrauerat beneficio Populi Romani (quod vestrates vocabulo nouo inuestituram vocant) sibi tradi. Proinde iusta indignatione motū fuisse Maximilianum, vt pro eodem Principatu aduersus Ludouicum arma caperet. Ego amice optime mirari satis nequeo istorū impudentissimā procacitatem, & malevolentiam pari cum amentia & stupiditate coniunctā, qui cum hunc Regem velint etiā repetito iam inde à maioribus eius criminādi principio, in inuidiam trahere, non ferendo illo quidē atque vñitato lōge minus exēplo, haud quaquam animaduerterint, quām sit promptum atque omnibus expositū intelligere, in eo nō modo ipsa re, sed etiam temporibus illos errasse. Et enim ignorare nō debuerunt, hodie quoque multa superesse hominum milia, qui pro testimonio possunt dicere, natu maximam Ludouici filiam non modò eo tempore, quo in Ludouici Principatum Maximilianus arma intulit, verum vno etiam atque altero pōst anno nemini collocatam, atque adeò apud patrem adhuc fuisse: ipsum vero Maximilianum Cæsarem iam antea despōndisse Carolo Mariam, Britannorum Regis Henrici septimi filiam. Præterea & hoc aliunde in promptu est coarguere mendacium;

nempe ex illo ipso Maximiliani diplomate, quo nimirum & is Ludouicus, & quicunque superstites ei forent liberi, nulla prorsus conditionis adiecta mentione in clientelam accepti sunt Imperii Populique Romani: tum huic ipsi Francisco Valesiorum & Engolismorum id temporis Principi, Galliarum nunc Regi succedendi ius ad eundem Principatum eodem siue cliētelæ siue beneficii nomine assertum est, atque testimonio luculentissimo confirmatum, ad quod ipse proculdubio Ludouico sine liberis maribus vita functo, ex publicis tabulis & consignato Populi Romani beneficio vocatus est. Dū ex hoc igitur Ludouicum isti perfidiæ insimulant, nihil mihi aliud videtur agere, quām quōd redire nos in memoriā faciunt Maximilianū Cæsarē parū sancte (nequid dicā acerbius) Ludouico fidē seruasse: cuius ope cū amplissimas in Italia recepisset ciuitates, prōque illo suo quod dicebam Imperatorio diplomate magnam vim pecuniarum certe supra centena quinq̄uagena nūmūm aureorū milia paulo ante à Ludouico accepisset: eadē mox pecunia vñsus est ad cogendum exercitum, quo Principatum eundem inuaderet, cuius nomine Ludouicum in fidem recausāque intellecta, déque Principum sacri Romani Imperii consilio acceperat. Iisdem porrò ex tabulis nullo negotio refelli possunt, qui, vt scribis, Regem meum aiunt sola ditionem am-

plificandi cupiditate adductum, nullo alioqui vel iure vel præiudicio, ad hunc Ducatum aspirasse, atque Maximiliano Sfortia per vim atque iniuriā spoliato, & antea quidē occupasse, & nunc etiam magno publica quietis incommodo repetere. Enim uero ingenuē ac liquidō Maximilianus iis tabulis agnoscit & fatetur, neque gratiosas eas fuisse, neque perperam alioqui ablatas, sed ad Regem meum hunc Principatū usque ab auis & proauis hæreditario iure pertinere. Atque, ut rem altius repetam, Io. Galeatio Mediolani Duci liberi manus duo tantum (si forte nescis) fuere, Iohānes & Philippus, cognomento Mariæ: quorū vterque sine legitimis liberis vita functus est. Sororēs inter cæteras fuit Valētina: ea nupsit Ludouico Aureliorum Duci Caroli quinti Galliarum Regis filio, & Caroli sexti fratri: ea lege matrimonio adiecta, ut si Iohānis Galeatii liberorum marium series interiret, ex Ludouici autē & Valentīna nuptiis superessent mares, illis ipsi in Principatum Mediolani succederent. Eam legē, quæ si adiecta nō fuisset, conciliatum alioqui nō fuisset matrimonium, comprobauit summus Pontifex, ad quem erant fasces Imperii, qui tum ad interregnū redierant trāslatitio iure deuoluti. Ex eo matrimonio tres nati sunt filii, Carolus Dux Aureliorū, ex quo is Ludouicus cuius nuper meminimus, qui ad regnum Galliarum hæreditariū mortuo absque li-

beris Carolo eius nominis octauo, est vocatus: Philippus comes Virtutensium, cui liberi nō fuere, & Iohānes Engolismorū Comes, ex quo natus Carolus huiusc Francisci Regis pater. Vides igitur Franciscum Regem huius Principatus hæreditatē creuisse antiquo aucto atque proauito (vt sic loquar) iure. Mortuo enim Philippo Maria, quanuis Franciscus Sfortia qui Philippi notham filiam in matrimonio habebat, ipsum Ducatum occupauerit, nunquā tamen nec ipse nec eius liberi in fidē sunt Imperii Rom. eo nomine recepti, donec tandem Maximilianus Cæsar adductus nescio quorum importunis suasionibus Ludouicū Sfortiam, verū absque causæ disceptatione, Principatus huius causa in clientelam accepit Romani Imperii. Quem eundē Principatum aliquanto post re intellecta & deliberata, dēque septemuiralis collegii cōfilio, reiecto Sfortia, in Ludouicum ipsum Galliarum Regē, eo, quod nunc dicebam, diplomate transtulit. Huic autē Ludouico absque liberis maribus decedenti, Franciscus iure sanguinis vt regni Galliarum, ita Mediolani Principatus hæres fuit: atque à Maximiliano Cæsare (id quod minime tamen illi fuerat necessariū) in fidem & clientelā Imperii Populique Rom. Principatus eiusdem nomine acceptus est: ex quo per vim atque iniuriā, indicta causa, præter morem maiorum & feudorum Imperii iura (vt nunc loquuntur Roma-

narum legum interpretes) à Carolo Cæsare deie-
ctus est. Sed hinc nobis obiicitur, Regem nostrum
qui se ac liberos suos captiuitate liberare vellet, si-
quid iuris in hoc Principatu habuerit, id Cæsari
ex pacto & tabulis cōcessisse. Ego verò amice op-
timum, nihil hinc pertinere ad rem existimo, de iis re-
bus disputare, de quibus aduersario ipse potestatē
optionēmque facturus sit, eligit vtrum velit, va-
lidam fuisse renuntiationem nécne: minus autē
de hoc disputare, quo iure, qua humanitate Cæ-
sar supra summam pecuniæ maiorem, quamqua
olim se Galliarum Reges à Saracenis hostibus re-
demerint, supra traditā Regi sine dote sororem,
supra durissimas alias conditiones hactenus apud
Christianos inauditas, hanc à Rege meo extor-
serit auti Principatus cessionem, superstibus
præsertim filiis, ad quos ille non ex patris tantum,
sed ex paterni proaui & materni aui causa, perti-
neret. Hoc cōtendo, & me probaturum omnibus
cōfido, nedum vestris hominibus, qui æquitatem
apud se valere, vulgatissimāque clientelarum iu-
ra finū, Regem hac cessione huic liberorum suo-
rum causæ nullum præiudicium afferre potuisse:
quibus quod ex aucto illo atque successionis iure
quæsum est, nulla auferri ab illis ratione po-
test. Quare vehementer miror hanc cessionē Re-
gi meo ab hominibus vestris obiici, apud quos a-
lioqui hæc clientelarum iura sancta esse soleant,

m p e n s i o n e

eaque diligentia & religione seruari, vt pro impiis
habeantur, quicunque non omnia impendere pa-
rati sint potius, quam in alias trāsferri patiātur fa-
milias, etiā siquid præter ea iura vel cessione (vt fit
quādoque) vel vēditione, vel alio quouis pacto, ad-
missum extiterit. Familiarum enim & non perso-
narū beneficia & iura sunt, atque ipsis adeò fami-
liis addicta: vt si non ipse tātummodo Rex meus,
sed ipsi etiam eius liberi, paternis quæ vocatis, ne-
dum his auitis beneficiis eo viuo cederet, inualida
nec efficax eorum cessio ex iuris istius vsu, ac mo-
re vestro futura sit. Quo proculdubio magis mi-
ror, vestrum Cæsarem qui se adeò studiosum pacis
& publicæ concordiæ haberi velit, innocentes hos
principes spoliādo, vt eoru spoliis spuriæ mulieris
hæredē augeret atque ornaret: f. loretissimāque
regionem erectam veris & honestissimis dominis,
accersito atque turpissimo inquinaret possessore,
futuram tamen hanc certam ac solidam pacē sibi
persuadere voluisse. Nam vt in eis ex proprio in-
cōmodo nullus dolor infideat, tamen illa supereft
cogitatio in abiecti hominis prælatione se despe-
ctos, dignitatēmque suā esse contemptā. Habet au-
tem vt ille ait, habuitque semper cōtumelia quen-
dam velut aculeum, quem diutius pati, cum gene-
rosi homines, tum præterea excuso & illustri loco
nati, difficillime possunt. Addis, male apud ve-
strates audire meū Regē, quod cū festa pace Chri-
f.i.

*his hinc directus domini erat
vnde vidantes*

stiana frueretur resp. ipse vñus & hoc, & priore bello, prouocando ad arma Cæsarem, summam in rep. t empestatem excitarit, quo maxime tempore Cæsar (vt inquiunt) expeditionem erat suscepturus propagandæ C H R I S T I religionis causa. Ego verò dico & priore bello, & eo quod accendi hoc tempore videmus, no n minore in præsens reip. incommodo, quām in futurum periculo, semper Cæsarem fuisse prouocatorem: cōtra, Regem semper illata tātummodo bella propulsasse, id quod æquis & inquis omnibus perfacile probaturum esse me cōfido. Atque vt de priore bello prius dicā, quòd causatur Cæsar bellum in se à Roberto Marchiano natū; conflatum, suscep̄tū Regis impulsu & opera fuisse, ostendā nihil horū esse, cōtraque habere omnia. Etenim ita res habuit, simultatem & litem primum, deinde bellū fuisse ortum inter hunc Robertum & Emeriarum regulum, idque de eius castelli controuersia cui nomen est Hyergia. Cōtigit verò vt Marchianus qui Frācico regno esset finitus, cuius etiam liberi & maximas haberent opes in Gallia, & honores gererent quām amplissimos, ei bello gerendo & sustinendo militem ex Gallia eduxerit: sed hoc proculdubio & insciente & tum grauiter ægrotāte Rege fecit: qui postquā è morbo recreatus id resciuit, nihil prius habuit, quām vt Cæsar is ad se Legatum vocaret, seque nō modò apud eū diligētissime purgaret, verū aduersus Marchia-

num quoque profiteretur seſe, vbi rogaretur, auxilio Cæsari affuturū. Nec cunctatus (id quod omnibus, qui rem modò inuestigare voluerint, satis cōstat) misso cōfestim, idque dispositis equis, nuntio, Gallicū militem edicto grauissimo reuocauit: cum iam Viritonum oppidum, quod tum Marchianus oppugnabat, propè vt dederetur, aut vi caperetur, esset. Quo milite reuocato, Marchianus nō tātum obsidionē soluere, sed saluti etiā suæ cōsulere coactus est: neque ita multo pōst oppida nō pauca, & ex suis arcis haud ignobiles, vi aut deditione captas amisit. Tū Carolus Cæsar qui fortasse suspicatus est, vel volēte vel impulsore Rege, bellum hoc Emeriano sibi merenti homini, à Marchiano Regi merente illatum ad se quoque pertinere: vel ab Emeriano ita persuasus, qui se imparem Marchiano sentiens, alliciendum in partes suas Cæsare esse duxerit: copiosum interim exercitum magna vi, celeritate, diligentia comparauit. Siue igitur ian diu de Rege male cogitaret, & occasionem affectaret, suscipiendo aduersus eum belli: siue exercitum omni adeò apparatu instructum nullo edito facinore insigni dimittere, atque impensas tantas sibi frustra esse ac perire, nec decorum arbitrarentur nec vtile, progrediendum longius & tentandam esse belli aleam iudicauit. vtcunque certe cogitauerit, eius milites non contenti Marchiani mulctatione, in Galliam irruperunt: & antē

quām Rex sibi esse de bello cogitandum arbitra-
retrur, Mosonem oppidum ad deditioñem compu-
lerunt, Macerias oppidum obsederunt. Rex qui pu-
blicæ pacis studio serius omnino quām hostilis ap-
paratus fama postularet, aliquando tamen exerci-
tum & ipse cōparare cooperat, Macerias subitario
immisso milite eo vsque tutatus est, dū ad eas obſi-
dione liberandas tempus supplendo exercitui suf-
ficerit. Eo suppleto, fatemur obſidione soluta, Re-
gem in agros Cæſareæ ditionis incursions fecisse,
& traiecto amine Schalde, vi aliquot oppida cepi-
ſe: Cæſarēmq; ipsum vt se periculo subducere, cō-
pulisse. Sed hoc nemo ita vñquā interpretabitur, vt
Cæſarem à Rege prouocatum audeat affirmare,
qui non sua voluntate, sed adductus aliena vi & ini-
uria, & tuendi sua necessitate compulsus arma ce-
perit. Atque ideo qui hunc authorem belli faciūt,
hac omissa criminacione ad aliā confugiunt nihi-
lo minus frigidam & inualidam, sed quam tamen
probari facilius imperitis rerum existimat. Adhuc
enim non in causa sed in persuasione, spes eorum
omnis fuit: ac dum summo artificio accusations
confingunt quām possunt suis rationibus accom-
modatissimas, dū quæ cōminiscuntur, quibus vo-
lūt, affingūt crimina, atque dū magnitudine horū,
animos occupat multitudinis, nullum interim o-
mittunt infidiarū genus, quò aditus ad vos perue-
niendi omnes intercludant, nequē apud vos semel

accusauerint, is purgare se vobis, & in illos retor-
quere falsæ accusationis possit inuidiam. Itaque
obiiciūt Regem meum aduersus Cæſarem suppe-
tias Henrico tulisse, quem Albreti dominum Cæ-
ſar contumeliose vocat, non dignatus eum appell-
atione Regia. Cuius rei historiā quæſo (ſi forte ne-
ſcis) intellige. Maximilianus Cæſar cum diu nimis
ac fruſtra tentasset Iulium secundum Pontificem
Maximum, vt concilium publicū Christianorum
indiceret, adducere: ipſe tādem vel nolente Ponti-
fice indicendum duxit. Sequuti ſunt illius ſenten-
tiam Ludouicus Galliarum, & Iohannes Nauarræ
Reges, aliquot item alii Reges & Principes, Episco-
pi & Cardinales non pauci. Iulius eos omnes ana-
thematis illius apostolici fulmine percusſos, ſchis-
maticos & hæreticos eſſe pronuntiauit. Reges &
Principes regnis & principatibus, ſacerdotes ſacer-
dotiis, quo iure, quāve iniuria eſſe indignos iudi-
cauit: regna, principatus, ſacerdotia primi cuiusque
occupantis fore iussit. Occaſionem hanc arripiens
Ferdinandus Hispaniarum Rex, Caroli Cæſaris a-
uus maternus, Regis Nauarræ qui Ludouici partes
ſequebatur, tum abſentis regnum ſibi finitimum
de, improuiso inuafit, occupauit, præſidio firmauit,
& moriēs Carolo nepoti per manus tradidit. Hoc
iure, ſi ſumma iniuria iuriſ nomine cendenda eſt,
Carolus Cæſar Nauarræ regnum obtinet. Quod ſi
fuiffe iure occupatum, & nunc retineri iure cōten-
f. iii.

dit, prius necesse est, fateatur Maximilianum Cæsarem auum suum paternum, cuius ad causam Rex Nauarræ tammodo se adiunxerit, multomagis hæreticum & schismaticum fuisse. Is igitur Nauarræ Rex cum eo tempore quo Ludouici (vt diximus) in partibus erat, regno suo deiectus fuisse, Ludouicum ad se in regni recuperatione adiuuandum, ex foedere obstrictū habuit. Defuncto, vtroque, cum Franciscus in Galliarū, & Henricus aliquanto post in Nauarræ successissent regna, & easdem foederis conditiones inter sepe pepigissent, cōtigit vt Ferdinandio ipso quoque è vita sublato, Hispani Carolum eius nepotem vt Principem quidem, & futurum Regem agnoscerent: interim autem viua nec consentiente matre Ferdinādi filia, Regem salutare detrectarent. Carolus igitur Francisci præpotentis, ac vicini Regis autoritatē magno sibi vñsi fore intelligens, quò ab Hispanis statim admitteretur in regnum, cum eodem foedus atque amicitiā inire voluit: à quo nimirum ea fide receptus est, vt interim tamen Frāciscus admōnendū esse illum duixerit prioris eius foederis, quo Nauarræ Regi obstrictus esset. Pepigit Carolus se ante constitutū certum diem cum Henrico transacturum: alioqui fore Francisco liberum, suppetias Hērico ferre, saluis nihilominus noui foederis legibus, inuiolataque amicitia. Quo tempore pridem exacto, & Carolo s̄ape ac frustra interpellato, neque cū Henrico de-

cidente, appellatus ex foedate Franciscus, nō potuit petitas tot præsertim nominibus debitas Henrico suppetias denegare. In quo si criminari quisquam eum potest, Hēricus potius quòd serius, quām Carolus quòd tulerit, suo iure criminari potest. Liquido igitur constare iam omnibus arbitror, qui Frāciscum quidem ante quām armis à Cæsare petetur, Henrico qui Cæsari bellum inferret opem tulisse nouerant, sed id officio integro inuiolatoque foedare potuisse ignorabant, Franciscum hac auxiliorum præstatione, neque Cæsarē prouocasse, neque prioris illius belli authore dici aut haberri vlla ratione posse. Iam ad bellum quod nunc geritur, aut imminet, veniamus, per quod Cæsar ab expeditione Turcica interpellatum & reuocatum se fuisse quiritur. De Allobrogum inuasione querimonia profertur: inuasionis ratio non expeditur: iurēne an iniuria inuaserit, hoc nō quæritur: & quod in nullius aut modici pretii fundis, primum & maxime quæritur, quo iure quis possideat, quo iure quis electus sit, id vester Imperator in tā amplio patrimonio, in tot agris, vrbibus, populis quæri nō putat oportere. cūmque sine controuersia, omni & Romano, & gentiū omniū, & naturæ iure omnibus liceat, licueritque semper, occupata per iniuriā, & per Legatos frustra repetita iustis armis repetere, hoc vult idem vester Imperator vni Frācisco Regi non licere. Sed opera pretium f.iii.

est rem altius paulo repetere, ut intelligas Regem meum sicut in cæteris, ita in hac etiam causa, finibus suis, atque auitis, dominandi cupiditatem sibi circumscribendam censuisse. Philippo Amedei Sabaudiæ ducis filio nupsit Margarita Borboniorum Ducis filia, sub ea conditione, ut si forte accideret Amedeum susceptis aliis maribus liberis Philippo superstitem esse, ex eoque matrimonio Philippus liberos sustulisset, ii Philippi patris loco, Amedeo auo ad eas opes succederet, ad quas Philippus si vivisset, ætatis prærogatiua successorus erat, ipsius ordine prærogatiuæ seruato, cui nascendi conditioni atque ordini præcipiuus honor habetur. Nati sunt ex eo matrimonio Philibertus & Ludouica: Philiberto cui nupsiterat Margarita Maximiliani Cæsaris filia, nulli fuere liberi. Ludouica Carolo nupsit Engolismorum Comiti, ex qua Franciscum Galliarū nunc Regē suscepit. Ea igitur nascēdi prærogatiua succedit Franciscus, cū in omnia Margarita maternæ auiæ bona, tū vt Ludouicæ matris, Philibertiq; auūculi, & ex eorū causa Philippi materni aui hæres, in omnia quæcunque censemur eo iure, vt cadere in fœminas, atque inter hæredes diuidi possint: & hac cōditione Amedei materni proui hæreditatē creuit, & ciuili & naturæ, & pæctio-
nis præterea sponsalitiæ iure. Adhac Nicia & Villa franca Narbonensis Galliæ oppida, Taurinorum item, siue vt nunc vulgus vocat, Pedemōtanæ Gal-

liæ Principatus tanto iam tēpore, vt ab hominum memoria initiuū eius rei sit propter vetustatem remotum, veterum Prouinciæ Comitū in fide semper fuere: hic etiam idem Principatus mancipii lege, ita vt eximi aut mitti nequeat, addictus eiusdem Prouinciæ Principati. Quæ omnia Sabaudiæ Duce vi, fraude, clientum ad defectionē solicitatione, certe per iniuriam occuparūt, dum Comites Prouinciæ aliis essent bellis impliciti, & vehemēter occupati. In quorum ius cum Franciscus partim ab intestato, partim ex institutione successerit, atque aliunde iniuriam à Sabaudis acceperit, qui non nullas arces & vicos ex Salassiorum Marchionatu, qui Delphinatus Viennensis est in clietela, multos annos usurparunt insigni iuris Delphinatum imminutione, atque iactura minime vulgari, nec ipse tam multis ac tā magnis iniuriis affectus, quicquā sua repetendo proficeret, tum demū omnibus ante frustra tentatis, necessariò bellū intulit. Sed hoc bellum ad Cæsarem (nisi ad se ipse pertinere putet, quicquique in Francisci bona inuadat, eos vt in possessione tueatur iniusta) non video quo modo pertineat: præsertim cū initio huiuscē belli Franciscus edictis grauissimis interdixerit, nequid miles suus vel attingeret quod in Cæsaris quouis modo esset re, iure, aut possessione. Nam quod Sabaldo ait Cæsar Samarobrinensi foedere cautum ac prospetum esse, abundè Rex sua in defensione ostēdit, eo

fœdere non caueri, vt quæ Sabaudus aliena possideret, præsertim verò illa de quibus nulla omnino mentio ascripta est in fœdere, nunquā ea restitue-re debeat, nec ipse ab eo spoliatus ablata per iniuriā repetere. Sed hāc tamen occasionem arripiēs belli Franciso faciendi Cæsar exercitum coegit, in præsidia regia inuasit, clientes eius & beneficiarios (vt vocant) ad defectionē solicitauit. Hoc si eū non conuincat belli authorem esse, non video cuinam tandem belli cuiusvis causa possit ferri accepta.

Sed quid amice optime, cogitare hīc putas cor-datos & rerū æquos expensores, quum audiūt Cæ-sarē ea principem authoritate, flagitiū vt sit apud eum mētiri, prætexere ipsum sibi ius legitimæ de-fensionis Sabaudi aduersus affinē Regem: quibus constat vt cognatos suos, Ludouicum & Christier-num, hunc Danorum, illum Pannoniārū Reges, vt vnicū fratrem Ferdinandum, vt autam ditionem, ipsāmque adeò Romani sedem Imperii Germaniam à Turcica defenderit iniuria: Nemo procul-dubio, qui modò rem voluerit ad examen verita-tis perpendere, non iam intelliget Imperatorem hunc vestrū, adeò sibi ex innocentia sua placētem, bellum hoc aduersus Regem meum, non modò qualicunque sibi oblata occasione suscepisse, sed ultrò etiā appetuisse: siue perditum iri (vt publicè iactitauit) Regē cupiat, siue id commodum sibi fo-re putauerit initiu, ad alia quæ molitur, ac de qui-

bus malo quosuis potius apud se cogitare, quam ex me referente accipere. At inquiunt Cæsaria-ni eo Regem animo & cōfilio in Allobroges mo-uisse, vt hoc adumbrato, maiora consequentis bel-li momenta tegeret, commodiorēmque ad inua-dendos Insubres expeditionē inde susciperet. Hoc verò diuinare est, & ex vana & futili cōiectura, vbi deest argumentum & causa, suspicionem quanuis pro verisimili criminē intēdere. Nihil enim de In-subrium ditione miles Franicus attigit, neque a-liud quicquā in hac causa, quod offendere Cæsare debuerit, aggressus est. Esto verò & hoc demus aduersariis, voluisse Regem & Allobrogum & Tau-rinorum agros ad se iure pertinentes occupare, at-que Insubrium finibus Imperium suum cōlunge-re: idque potissimum eo tempore, quo sperare suo iure potuit, vt cū tyrannus & prædo Sfortia è pro-vincia occupata, è vitāque simul excessisset: pacato & volente Imperatore vestro (qui se toties id factu rum fuisse confirmarat, nisi iam obstrictam antea Sfortiæ fidem habuisset) Mediolanū facile recipe-ret: si nō sibi qui cessisset, at liberis certe suis, qui nec cesserunt vñquam suo iure, neque nō ad sua recu-peranda sancte iuuari à parente potuerunt. Quid in eo contra eundem ipsum Imperatorem vestrū, quid in fœdera peccatum est? Nihil sané. Sed ma-leuolis quibusdam qui nolint in Italia aut Regē, aut eius liberos quicquā habere, vbi pedem in suo

ponere possint, maluit ipse vester Imperator cū & fidei & famæ suæ detrimēto gerere, quām toties datam fidem principibus adolescentibus liberare. Nam hanc illorum voluntatem aliquando excusauit Cæsar, quō minus Regi aut liberis eius Mediolanū redderet. Quoquomodo se res habet, certe Mediolani fines miles noster ne attigit quidem, æquis tantum legationibus, non armis (quæ promptissima ipsi erant) cum Carolo Franciscus egit, vt liberis suis, si nō sibi, pecunia saltem numerata impetraret, id quod omniū concessu, quicunque sunt prudētes iuris, pertinere ad illos intelligeret. Et quæ obsecro causa fuit, vt nō sperare debuerit à Cæsare tam (vt videri vultis) æquo, à Cæsare cognato, à Cæsare sibi religione fidei obligato, hoc facile impearere, quod antea prædo Sfortia impetrasset: quem persæpe tamen conquestus Cæsar esset, in se fuisse proditorem & perfidum. Nulla igitur, vir amice, causa iusta quidē, data est Cæsari à Rege meo, vt tā atrox ei bellū inferret, nulladum ipse laceffitus iniuria. Sabaudi nāque causam nulla satis idonea ratione suam facit, qui antea sororum viros, vnicum fratrem, auorū incunabula, Germanicū Imperium haudquam hisce conatibus vindicare vnquam in animum induxit. Mihi verò crede, aliò spestant (vt nobis est in prouerbio) aliò tendunt remiges. At inquiunt Regem decuisse, omnem cauere occasionē interpellandi & auertendi Cæsarī, cum

à publico Christianorum cōuentu, tum à religione aduersus eiusdem hostes propaganda: quam in curam (vt illi aiunt) mente & animo totus incumberet. Hic ego (vt planè loquar) satis assequi conjectura nequeo, tametsi diligenter & accurate omnia perpēdi, quid in causa esse potuerit, quare occasiōnem illam tantæ gloriæ, tantique ad religionē momenti negligeret, tamque facile à tam sancto proposito, ad alienarū rerum tam iniquam iniuriā deflechteret, atque omnes adeò vires suas ab impiō in Christianum, ab hoste in cognatum cōuerteret, à quo fateatur necesse est, nullam se accepisse iniuriam: nisi hoc iniuriam esse voluerit, quod libris suis ius auitum, & per Maximilianū Cæsarem luculenter adeò confirmatum, reddi postulauerit, idque legationibus tantū, nulla penitus vi. Ergo apud æquos istos vestros homines, ii perturbat Christianorū pacem, ii bella excitant, ii procellam reip. inuehunt, qui legitima via, sua repetunt: Cōtrā qui aliena occupant, & quæcunque quacunque vi, vel iniuria semel occupauerint, de iis nolint pātē vñquam aliquam amittere, quinetiam occupata repeatentibus continuò bellum inferunt, ii conciliatores publicæ quietis, ii publicæ salutis habebūtur vindices? Finge verò Regis ipsius filios ita Cæsarē appellare, Patrem nostrū Carole Cæsar patrimonio quod secundum eum nobis eius liberis dēbebatur, nihil de te male meritis, id quod omnibus adeò in

promptu est, ut negare ne tu quidem possis, eieciisti: & eo patrimonio quod iam olim per maiores nostros multo suo ac suorum sudore atque sanguine, de Longobardis potestissimis hostibus assertum, Imperioque Romano liberaliter donatum, multis post saeculis ad proauos nostros eiusdem Imperii beneficio redierat. Hoc inquam patrimonio patrem nostrum ut cederet copulisti, & a nobis, eorum posteris, qui hoc florentissimum Imperium, cuius adeo creuisti viribus & opibus, postliminio in Europam reduxerunt, per indignitatem summam & iniuriam ablatum, ad nepotem calonis & spuriæ trastulisti: eo mortuo, per vim adhuc retines. Id quoniam abs te iure fieri non fatemur, quoniam indignitatem & iniuriam ponere gratificationis loco recusamus: quoniam apud patrem ut nos pie iuuet, infistimus: quoniam is spem fortasse nobis aliquam praebet: maternam hereditatem quoniam frustra tentatis omnibus, tandem armis adeundam censuit: ideo nos, ideo illum accusas, quasque nobis ipse ad recuperanda nostra parare gradum, & munire viam studuerit (id quod ita si fieret, tamen crimen ac reprehensione carere debeat) violatæ pacis & fidei apud rerum imperitos reum agis: fanaticis spiritibus animum ad nefanda hæc audendum, quæ nostra videt ac patitur actas, addidisse: Turcarum Regi ad inuadendos pios viam parasse ac struisse, atque adeo illum in nos euocasse vociferaris.

Quousque tandem, & quos demum ad fines istud crimen, istam querimoniâ distractâ pacis extensus es, aut quibus es certis limitibus circumscriputus? Annō etiam, si nos hoc auitum regnum, hoc natale nostrum solum ac soliū inuadēti obfistamus, eo usque proferes querimoniā: & hæc nobis legem præstities, tibi ut quantū accipere libuerit cedamus, alioqui pacis, alioqui reip. alioqui religionis prodi tores, Turcarum, hereticorū, impiorū, nefariorum & fanaticorum omniū fautores, euocatores, authores habeamur. Ad hæc, amice optime, liberorum Regiorum expostulationē, quid obsecro respōdere Cæsar possit, quod apud æquū vllū iudicem valere, aut grauissimæ expostulationis huius aciem possit vlo pacto retundere? Annon si qui erūt, vti certe erunt, æqui rerū æstimatores, perpensuri sunt diligentius, quidnam olim Fracorum Reges Christianæ præstiterint reip. vt Romani Imperii dignitas ad Germanos primū per Carolū Magnū gentilem illum quidem vestrū, sed tamen & Francum & Frâcorū Regē inuecta, ac per eū & posteros eius aucta atq; exornata sic fuerit, vt per eos multa etiā Imperio vestro accesserint quæ prius ad eos vel publicè Regio, vel priuatim hereditario iure pertinerebant: plane ut multo sit futurū longius, quæ ab illis, quam quæ aliude, Imperio accreuerint, numerando percēdere. Côtâ verò Austrianos istos ab Imperio, nō ab Austrianis Imperiū creuisse facile perspiciet.

Annon hoc quoque putas existimatuos Austria-nam familiam ea hodie de Francorū ditione pos-sidere, quibus maxime in hoc quo nūc eam vide-mus, eluctata est & peruenit fastigiū: Profecto, vir amice, recte hæc expendentes tāta ista iniquitas, ne dicam crudelitas in Regios adolescentes hac gene-ris nobilitate, hoc ætatis flore plausibili, hac inno-centia erga omnes, tamque decedentibus hanc di-gnitatē moribus, magnopere debet commouere: quodque præter hanc adeò violentam hæreditatis eorum auersionē, ipsi quoniam de auxilio patrem appelleant, pater quoniam eis piè faueat, tam indi-gne traducatur accersanturque inuidiosissimo vio-latē pacis ac proditē fidei criminē, & impii præter-ea nefariique fauoris in Turcas: idque ab eo qui præter affinitatis & cognitionis iura, tā multa de-beat nostræ Galliæ. Nam vnde Austrianis opulen-tus ille, ac Regius Comitatus Flandriæ vnde Se-quanorum, vnde Attrebatum, vnde Hânoniæ, vnde Hollandiæ, vnde alii plerique Principatus: Vi-des igitur quām sit facile, non tantum accusari ali- quem, sed apud rerum imperitos reum etiam peragi, dum delatori sufficit accusasse: atque modis o-mnibus (vt dicebā) prouidetur, ne apud quos reus con-stituitur, ad illos defensio eius perueniat. Sed veritas ipsa tamen cum diu calūniæ tenebris mer- sa delituit, emergit tandem alicunde in lucem, at- que erumpit: & quō maiore artificio ne in lucem

prodiret depressa fuerat, eò cum se prodit, sicuti maiores parit ei, qui sit calumniam passus, glo-riam: ita grauiorem affert calumniatoribus inui-diam. Id quod ego in hac causa vsu venturum cō-fido, spero quidem certe. Age verò cōcedat Rex accusatoribus suis se suorum liberorum ad ipso-rum fortunas etiam armis vendicandas flagita-tionibus non modò non defuturum, sed nec etiā, nisi restitutis, finem bello se facturum. Vter tan-dem pacem turbat: vter impetui Turcico viā ster-nit: An qui res frustra moribus repetitas, iusto bel-lo recuperare contendit: an potius qui negligit pa-cem reipublicæ aliena restituendo redimere, imò verò sua repetenti bellum infert: nec si Turca in-nos inuaderet, à sententia sit discessurus sua: Nam hic vester Imperator eo ipse animo bellum intu-lit, & hoc ipsum ausus est apud summum Ponti-ficem publice contestari, nō ab initio quidem bel-li, dum in promptu Règi erat in Italiam arma im-portare, & cum ipse ad eludendum Regem, pacis consilia vafre simulabat: verum postquam reuo-cato Regio exercitu, ita se illum tenere implici-tum iudicauit, nullum vt aufugiendi locum esse reliquum arbitraretur: hoc tum inquā ipsum aus-us est contestari, si vel omni collecto suorum ex-ercituum robore Turca bellum Christianis infer-ret, nihil de bello se Gallico esse remissurum: hoc est C H R I S T O audientes prouincias sese pro-

g.i.

diturum potius; quam ut eum Regem non perderet, eam familiā non deleret, cuius fide ac virtute terribilior est, sūtque semper impiis nationibus Christiana respub. & iustitia longe commendatior. O dignissimam vocē eo, qui se pro pace inter Christianos componenda deuouere velle, qui pro pace redimenda sua se permīssurum aliis gloriatur. At verò nihil opus est neque ad componendam, neque ad redimendam pacem, vt vel mactandum se ipse præbeat, vel de suo quicquam amittat: tantum aliena quæ per suminam iniuriaam detinet, iustis dominis restituat. Quod si Mediolani Principatum, in quo præcipua videtur harum causa simultatum confistere, ad Franciscū Regem, aut liberos eius pertinere non existimat, cur non subit ea de re cum ipsis iudicium commune clientum Imperii? Cur eos iudicēs reiicit, ad quos ea propriè cognitio pertinet? - Nam ad Regem meum & liberos eius quod attinet, hoc ego confirmare tibi possum, eos non modò non esse confessum illum Principum Imperii disceptatorem & recuperatorem recusaturos, verum hoc etiam vltro & vehementer quidem depositere. Qua de causa & hoc mense Julio, sub nascentis huius belli exordia, legationem qua petebant cōuentum indici, sibi senatum dari, déque Medioli- ni causa disceptari, ad Principes illos decreuerāt. Sed eorum Legatus à grauissimis & autoritate

summā viris est monitus, sibi extrema intentari, si vspiam locorum apprehendi eum in Germania contingeret. Huc igitur vestra o Germani recidit libertas: Hoc pati potestis? Hoc Imperii est vestri ferre, vt Legati tanti Regis, cuius maiores de Christiana tota repub. déque vestro Imperio tam egrie sunt meriti, ius gentium apud vos quod sacro-sanctū sit legationis munus requirat? & si qui sunt qui sanctum esse illud velint, non audeant tamen Legatos ad se Regios admittere, & cum illis de re villa cōmunicare. Ac ne me putas amice optime hac falso cōminisci, Is Legatus cum per intentatas sibi ab hoste insidias, peruenire non potuisset ad Septem viros illos Cæsareæ maiestatis nō constitutæ modò arbitros, sed tuendæ quoque autores, literarum id subsidio, quantum in se fuit, supplere conatus est: quarum exemplar ab eo qui has tibi redditurus est, accipies. quæ cum tutò vt perferrentur ad eorū vnum curauisset, qui ad collegas suos referret, eadem de re vt Senatus Regi ac liberis eius daretur, & ii semel vel à petitione Mediolanensis agri, iure ac moribus summoventur, vel ab omni vindicarentur iniuria: ita se res iam apud vos habebant, vt is princeps ausus non fuerit cum collegis suis communicare. tan-tum se ad Ferdinandum de re tota referre velle dixit, fratrem scilicet ipsius Cæsarlis, à quo nihil illi quidem possunt in posterum ex præteriti

temporis comparatione, nisi vim atque iniuriam expectare. Sed iam ad Cæsarem redeo. Hic si quantum videri, tantum ex animo velit quieti & paci prodesse & consulere in publicum, cur non à suspicione se remouet, aliud se priuatū sub obtentu pacis publicæ spectare interim atq; moliri? Cur non satis illi est eius pacis ad alios fructum, ad se gratiam peruenire: aut cur eiusdem pacis, cum iis saltem, quibus eam tanti vult vendere, non aliquod emolumentum communicat? Cur illius de qua statim ago, Christianissimi Regis diuturnæ, atque sine vlo in hunc diem exemplo memorabilis patientiæ non aliquam habet rationem? Sed quid patientiæ dico? Imò verò tam liberalis officii aut potius beneficii. nam quo ego alio nomine hoc appellem nescio, quòd cum pulcherrimā haberet Rex occasionem, simul suas & liberorum opes vindicandi à tam indigno atque iniusto occupatore Sfortia, simul pro summa indignitate & iniuria ex Legato suo immaniter cæso, illum eundem vlciscendi, quum præsertim ab optima Ducatus eius primiorum hominum parte vltro inuocaretur, & exercitus in promptu illi esset, qui tum in Germania conscriptus, rēque feliciter & facile confecta, cuius causa conscriptus fuerat, vltro ante quā dimitteretur, nomē illi deferebat, atque vt in id bellū authoraretur flagitabat: quū inquam ita Rex esset ab exercitu, ab re numma-

ria, ab sociis, ab rebus omnibus, quæ ad bellū cele-riter conficiendum pertinent, paratissimus & instructissimus: tamen rogatus à Cæsare tum expeditiōnem in Africam adornante, nequid moueret interim, aut nouaret in Italia, morē gerere nō recusauit, atque omnium indignissimæ iniuriæ vltionem & dolorem dissimulauit ac distulit, tantum ne morā conatibus Cæsarīs vllā afferre velle videretur. Quanquam ego (vt ingenuè ac verè loquar) neque illa ex Africana victoria, in qua mīrificè adeò sibi Cæsar placet, amplificatam aut illustratam esse religionem, neque latius quā ante, prædicari C H R I S T V M video: neque quā obrem inde triumphos agere tam plausibiles debeamus. Nam quid nostra intererat à Turcāne, an ab Afro Machometana prædicetur in Africa superstitio? At expulsum è sedibus suis Tunetis regē Cæsar in regnum magnificè restituit. Sit illud sanè magnificum & Imperatoriū. at hoc magis magnificum & Imperatorium fuerat, pluris eum nō fecisse, Regem vt impium periculo atque sanguine piorū & vtilium Christianæ reip. militum, imminutionēque Christianarum virium in regnum restitueret, restitutionēque illius Solimanum in nos à Persicis rebus, nostro omnium cōmuni pericolo, suæ vnius ambitionis causa reuocaret, quā vt Nauarræ Chriſtianū Regem regno suo per iniuriam electū, propterea quòd ex studio corrigē-

dæ quasique reformandæ ecclesiæ, cum Francorū Rege Ludouico, & Maximiliano Cæsarī suo ad indicendum consilium consensisset: aut Christianissimum Galliarum Regem, & liberos eius, amplissimis patrimoniis fortunisque per vim spoliatos, in sua restitueret: id quod iure quidē omni debuerat, certe citra cædem & sanguinem, & virium Christianæ reip. damnum & detrimentū (nequid amplius dicam) debuerat. Sed cōiunctas habere fortasse mauult rationes cū Machometanis Afris, quām Regibus Christianis: cū interea tamē Franciscum Regem non minus falso quām inuidiosè, quasi cōmunia habeat cum Turcarum Rege cōsilia, criminetur. At hoc ego, quum ipse verbo tantū arguat, nihil proferat, nihil literis aut testimoniiis probet, sed inani & nugatoria quadā malevolentia, criminis insimulet, verbo dūtaxat refellendum duco: tum quòd accusatoris fit crimē probare, tum quòd neminē esse tam profligato vel potius perditō deploratōq; iudicio existimē, qui, præfertim in tanti re momenti, putet satis esse ut quis reus peragatur, temerè accusari, vel qui conuictiōni isti fidē habeat. modò tamē meminerit Regem eundem per literas & nuntios quinquaginta militum milia vt minimū per id temporis obtulisse, quo Viennam Turca cum exercitu obsideret, atque (vt dicebā nuper) ad Africanā expeditionē profecto Cæsare, tanta in occasione atque geren-

dæ rei opportunitate pedem domo nō extulisse.
Etenim si spem Frāscus in Turcarum viribus posuisset, tum certe pro recuperandis suis rebus, bellum potius suscepisset, cum illi victore exercitu longe latēque dominabantur, quām vt in hoc distulisset tempus incōmodum, quo Rex eorū Solimanus, præter quas in Africa & Germania clades accepit, toties in Perside fusus ac fugatus fertur, iam vt Cæsariani dictitent, nō de inuadendis alienis, sed de tutandis suis finibus necessariō capiendum illi esse consilium. Et verò poterat tum quidē Rex minore impendio ac periculo suo arma capessere, vt cū duobus in locis disiūctissimis maximēque diuerfis, à potentissimis hostibus bellum vno eodēmque tempore gereretur, tum anci piti contentionē distractus Cæsar ad difficillimā de Imperio toto ac salute dimicationem vocaretur. At Legatos Franciscus à Turca (inquiunt) accepit, atque suos ad eum vicissim ipse misit. Ego verò facilē patior id accusatorē obiicere, quod ego defensor possim sine periculo confiteri, & quod accusatus nūquam neque criminosum, neq; dissimulandum esse vobis iudicauit. Acceperunt item & miserunt ipsi etiā Cæsar & Ferdinandus: vt mirum sit quod licere sibi putat, cur in alio reprehendi velint. Neque verò illi Legatos acceperunt tantummodo, verumetiam munitissimas in Peloponneso vrbes, quæ vt C H R I S T V M ser-
g.iii.

uatorem liberius profiteri possent, se se vltro Cæſari dediderant, ipsi iidem Solimano Turcarū Regi, vt aliquam ab eo bonam inirent gratiam trādiderūt, aut potius prodiderunt. Quæ quidē postea tā immaniter à Solimano sunt habitæ, vt nemo satis vnquam earum deplorare possit & commiserari calamitatem. In quibus tamē ipſis vrbibus poterāt Christiani ad Græciam seruitute liberrandam appositissimā gerendo bello arcem constituere. Sed redeo ad Turcicam legationē. Dico igitur ſæpe Solimanum cum Francis pacē, vt à quibus omnium maxime gens Turkica ſibi ſemper timuerit, vehementius expetiuiſſe. Dico eundem Solimanum vt Christianissimū Regem aliquo ſibi demereretur beneficio, atque pacē eō facilius impetraret, ſuppetias ei, & captiuo, & mox datis obſidibus filiis liberato, etiā atque etiā obtuliffe, ita vt neminē vnquam Rex infestiorem ſibi habuiſſe videatur Cæſare confanguineo ſuo, & cognato. Illud verò cōtenderim tam eſſe Regi gloriosum, quod in tantis rerum difficultatibus tam ſæpe cōſtitutus, alienorum à religione auxilia nō admisit, quām eſt alteri cui dā, cuius ego nomini parco, ignominiosum studioſe ambiuiſſe: nec vt ſe in clientelā ille acciperet impetratiſſe, quin potius ab illo magnificè despectum fuiffe atque reiectū. Quod si eo loco, quo Rex meus, Cæſar veſter eſſet: atque iſ à quo tam indignè ac tot affice-

retur iniuriis, tā topere iſtam illi cōiunctionis Turcicæ mentionem exprobrādo inculcaret: ipſe interīm & præteritis incōmodis, & præſenti periculo, & publica tam potentis aduersarii professione premeretur: à cæteris verò Christianis Principibus ſe videret derelictū, ac veluti prædæ expositū: vel nescio, vel non dico, an ad ſuperiores calamitates, ad alia præſentia pericula, tātum ſibi hostem vellet, quantus eſt hic Solimanus aſciscere: quo paca-to tamen vti prōptum ſibi eſſet atque expositum, idque maxime cū Abrahamus, Dauid, Solomon, Machabæi, & alii permulti sancti & religiosi duces ab hoc foederū genere non abhorruerint: non dico inquā an à Turcarū Rege tam liberaliter oblatas ſuppetias eſſet repudiaturus, qui non ignoret iure Pontificio licere Christiano Principi, ſua per iniuriā ablata & occupata, ſi viribus ſuis nequeat, impiorū auxilio recuperare, vbi piorum illi auxilia denegetur. Vides itaque amice optime quām hoc loco Regem meum traduxerint elegāter, cui cum id criminōſum eſſe velint, quod illi tamen li-cuerit, id ipsum etiam quod affingunt, nemo falſum eſſe nesciat, qui res duntaxat iſtas mediocri-ter vnquā inuestigauerit. Verum hæc omitto, cū sit omnibus longe certiſſimum, nullā in orbe ter-rarum eſſe Regiam ab hac ſuſpicione tam alienā atque purā: vt quæ plures ab hostibus noſtræ reli-gionis triumphos numerat quām Reges: quorum

Regum & maiorum suorum vestigiis instituisse semper hunc Franciscum Regem, etiam ipsos mea sententia, qui tam atrociter eum deferunt, si iurati dicerent, agnituros non dubito. Sed quoniam intellegunt questum apud suos esse Solimanum, quod praefectum classis eius AEnobarbum à Tunetanis ut se in clientelā illi darent, euocatum, bello insperato Cæsar oppresserit, & hoc bellū difficillimo tempore suscepérunt, nō pro fouenda illud quidē religione, quod solenne fuit priscis Imperatoribus: non protuenda vel amplificanda ditione, quorū alterum semper omnibus, alterū plerisque magno & exesso animo viris iusta belli gerendi occasio visa est: sed pro impiō Rege, de se nihil merito, & fidē fortasse Punica beneficium agnituero, proque sola vel gloriæ cupiditate, vel studio contentionis, quam videntur inter se de monarchia suscepisse. Id quū inquam intelligent, artificiose hæc isti disseminant: & quantum in ipsis est, ante rei euentum, in aures imperitorum insinuant, vt si postea (quod est credibile futurū, & ipsi ad rationes suas & concilianda Cæsari publica Christianorū auxilia accommodatissimum esse putat) his duobus summis Christianorum Principibus inter se pertinaciter conflictantibus, occasionem esse suam ratus Solimanus in Cæsaris ditionem violenter impetum faciat, vt est scilicet Rex magnanimus, gloriæ cupidus, in vindictam ardens, necdum adeò fractis

viribus, vt nos fortassis esse comminiscimur: hoc tum ipsi habeant iactum fundamentum, atque apud ignaros veri, & iam antè falsis auditionibus occupatos, verisimilitudinis ad credulitatem argumentum: quo tum Regem traducentes, quasi ab eo sit Solimanus auxilii gratia in Christianos euocatus, ceterorum in eum Christianorum arma concident. neque alio consilio existimandi sunt persuasisse Cæsari, vt ea vteretur apud summum Pontificem publica testatione cum auditu crudelissima, tum indignissima Christiani Cæsaris probitate ac virtute. At clamitant Cæsariani visa fuisse in Africa tormēta Frācorum Regū insignibus insculpta, signaque militaria iisdē insignibus nō pauca in AEnobarbi fuisse potestate. Hoc ego sicut verūne sit, planè nescio: ita magnopere refutādum esse nō arbitror. Nam triremes plus minus quindecim Andræas & Antonius Auriæ, vexillis, armis, tormentis, & remigibus Regiis instructissimas, à Rege ad Cæsarem deficiētes abduxere: quarū ego aliquas cum omnibus suis impedimentis in AEnobarbi venisse potestatem intellexi. Quod si vt mihi renuntiatū est, ita contigit, neque tā in Regiis triremibus suo Cæsari seruandis, Auriæ diligentes fuerunt, quām in iisdem ab Rege ad Cæsarem furtim abducēdis flagitiōsi, nō mirū est fuisse hoc tempore visa in Africa & vexilla & tormenta Gallica, quæ nonnunquā alias ta-

men,& olim,& hoc Rege, iisde in locis fuisse vi-sa constat: verum ad religionis nostræ illustratio-nem & amplificationem,& maiore siue fructu si-ue gloria, quām hoc tempore Cæsar intulerit.

Sed penè iam præterieram imprudens id, quod isti, vt scribis, tam pertinaciter inculcant, se Regem ita in laqueos adductū & implicitum tene-re, vt elabi nulla ratione possit, quin sit illi confi-tendum, se in Samarobrinense foedus offendisse, atque Imperatori vestro iustā in se arma capien-di occasionē præbuisse, qui scilicet Huldarico Vir-tembergæ Duci bellū aduersus Cæsarē susceptu-ro pecuniis suis affuerit. aureis enim nūmis Gal-līcīs (quod negare nemo possit) eo in bello perso-lutū esse militi stipēdium. Ego verò ne hoc loco Camarinā (vt aiūt) mouere cogar, ac Cæsarīs male de Imperio meriti cōsilia detegere, maxime vellē cōtentos eos fuisse ipsa Regis mei super ea re de-fensione. Neq; enim dissimulandū vobis esse du-xit pecunias ab se fuisse numeratas, sed pro mōtis Pellicardi Comitatu, quē ex Huldarico Rex emer-rat. At quos in vsus vēditori placuerit pecuniā ab emptore numeratā vertere, hoc verò non putauit sua: vt percōtaretur, interesse: quēadmodū neq; vē-ditoris, quo animo emptor, aut quē ad finē eme-rit. Sed quoniā isti tā cupiūt esse diligētes, intro-spicere vt velint Regis mei nō facta tantūmodo, sed cogitationes etiā & cōsilia, ego sic vicissim il-

los rogare velim. Inter Galliarū Reges & hōc sa-crosanctum Imperiū, intercedit vetus defensionis mutuæ societas. Multo pōst initū est nouū foedus inter hunc Galliæ Regem & Cæsarē, sed quo nec genere sit ipso, nec partibus, vlla ratione antiquo illi foederi derogatum, neque vt derogaretur, po-stulare vester Imperator debuit, eo ipso appella-tione Imperatoria se indignū præbiturus. Impera-tor idem vester, Huldarico Imperii cliente ab ea paterna hæreditate deiecto, quæ tū propria & peculiari exceptione sic addicta, & iā inde ab initio affecta erat illius gētilibus, vt iis superstibis ne-queat in aliam transire familiā, tum eidem isti ve-stro Imperio ita est clientelæ iure obnoxia, vt ex-tincta ea familia, ad Imperii ærarium, cuius bene-ficiū est, redire beat, neque pacto vlo mitti ab-alienarīe possit: vester inquam Imperator, Hul-darico disturbato, eandem hæreditatem illius gē-tilibus (quod facere iuratus debuerat) non tradi-tit, quin potius, spreta iterum iurisurandi reli-gione sibi ipse usurpat ac retinuit: imò verò ne non satis grauiter contempisse iusurandum vi-deretur, Imperii iure interuerso, vel euerso po-tius, usurpatam ab eodem exemit, ac veluti eman-cipauit Imperio: vt iam nihil minus, cum tantus sit imminutor Imperii, quām Augustus dici me-reatur. Huldaricus igitur lauto illo atque ample-patrimonio spoliatus, Regem appellat suo & ve-

stri Imperii iure , vt ex foederis antiqui formulā non modō sibi, quod non mediorem quidem ad impellendum causam, sed Imperio vestro, quod maiorem multo vim habeat, opem ferre velit: neque patiatur opulentam prouinciam ærarii vestri propriam, ab eo per iniuriam abalienari & distrahi. Finge nunc Cæsarem contrà, ex nouo fœdere, per quod tamen illud vetus induci non potuit, obtestari Regem , vt ne aduersum se defendendam Imperii Romani authoritatem suscipiat: alioqui præter fœdus facturum eum pronuntiare . Cedo hoc loco quenuis arbitrum . vincam equidem (vt ille ait) quounque iudice etiam curioso illo inuestigatore: Imperione an Imperatori morem gerere, ad antiquum publicum, an ad priuatū recens fœdus Rex debeat respicere . Vbi ad hoc ille mihi respôderit, tum de facto Regis mei constituam, quid me oporteat respondere. Verum ego ipsum vestrum Imperatorem hoc me onere liberaturum spero , imò etiam existimo ipsius in Regem criminationi & conuitiis fuisse hoc accusationis caput ab aliquo malitiose additū, eoque de industria consilio & studio, vt hinc ansam daret in Cæsarem aliquid dicendi : quod , vt facile credam, eò adducor magis, quòd tam ipse Cæsar quād etiam Ferdinandus suis aliquando literis, quarum ad me quoque exemplaria peruerterunt, sicut verè, ita ingenuè testati sunt fuisse omnino è

re Germaniæ, sua vt restitueretur Huldarico Virtemberga. Quod si agnouerūt & ipsi, non est quare fraudi hoc esse Regi velint, si ad eius restitucionem Germanicæ quietis ac pacis causa consenserit. Subdis, & hoc nomine malè audire Regem, quòd Ducatum Burgundiæ, qui Cæsar is esse (vt inquietunt) hæreditario iure debeat, tanto iam tempore, ac tam iniustè detineat. Sed hoc loco vt perspicias quād frigida nitantur isti ratione: rem expli cabo tibi fortasse non intellectam . Eudoni Duci Burgundiæ filia fuit vnica (si bene memini) Adella . Quæ cum Galliarum Regis filio nupsisset, is Ducatum Burgundiæ , velut vxoriū ac dotalēm Eudone mortuo statim occupauit, & aliquot annos nullo intercedente pacatum tenuit , donec alter quidam extitit, eques ille quidem & nobilis, sed peregrinus, neque admodum opibus aut viribus pollens, qui in ius eum vocarit, disceptatoremque patrem eius Regem petierit. apud quem cōtendens cum dixisset ad Burgundiæ Ducatum fœminas nō admitti, se verò ab antiquis eius gentis Ducibus, idque haudquam intermissa masculorū serie progenitū, permissa est causa Parium Franciæ iudicio, qui sunt in regno nostro Princes duodecim, proxima secundum Regē ac velut pari (vnde & nomen traxerūt) in summarum disceptatione rerū authoritate prædicti. Quibus cum causam ille probasset suam , re diligenter quæsi-

ta, hi expulso Regis filio, secundum illum equitē pronuntiarunt, & Ducatum illi, accedente Regis ipsius autoritate, more maiorū vtendum fruendū tradiderunt. Quo Ducatu & ipse, & qui ab eo mares nati fuerunt, nullo ipsis postea controversiam faciēte, potiti sunt. Possem & alia in rem præsentem afferre huiusmodi exempla: sed hoc vñ existimo satis esse, vt quod ab omni sit corruptorum iudiciorum suspicione tutū: verisimile cum sit, iudices illos facilius à ciue suo, prædiuite, Regis filio, quām à peregrino, tenui, atque ab amicis inope corrumpi gratia, pecuniis, metu, potuisse. Hoc ego inquam vno exemplo satis cōstatre arbitror, non potuisse Cæsarē eius Ducatus hæreditatem assequi, cuius pater Philippus, filius fuerit Mariæ Caroli filiæ: ad quā peruenire Ducatus, superiore illo iure minime potuerit. Vnde autē is Ducatus ad Philippum alterū, in hac familia primum Burgūdiæ Ducem, & Caroli, quo de agitur, abauū peruererit, & quāto Rex Carolus quintus eius frater studio, labore, familiaris & publicæ rei dispēdio, quāmq; profusa & immodica liberalitate eas nuptias illi cōciliarit, aut redēmerit potius, ex quibus hodie Cæsar amplas illas & opulentas habet in Gallia Belgica & inferiore Germania prouincias, longū c̄sset, neque hīc necessariū dicere. Ego verò perquā lubens prætermitto, ne hanc velut ansam arripuisse de industria videar, decla-

mandi hoc loco aduersus posterorum illius Philippi Ducis, in benemeriti Caroli Regis posteros ingratiani animi cōscientiam. Nā cum isti hoc etiam Regi meo crimē obiiciāt male agnitæ Cæsaris, pri mū in se, qui captiuus esset, deinde in liberos suos obsides, humanitatis & liberalitatis summæ: malo crimē istud diluere, quām vel recriminatione, vel, vt loquuntur hodie, culpæ cōpensatione, quodammodo crimen agnoscere. In quo ego, vt ignoscas, velim, siquid mihi vel iam exciderit, vel nunc dicatur sim quod fortasse de Imperatore vestro dictum nolis. In hac enim cōtentione, in quā tuæ me literæ adduxerunt, si quidem excusatū Regem meum volo, vti velle debeo, versari hoc in genere non possum absque accusatoris cōtumelia: verum adeò id modestè adhuc feci, & faciam, quātum rei patitur atrocitas, vt intelligas me nolentē esse pertractum in hoc argumenti genus, nō studio atque affectatione descendisse. Tractauit (inquiūt) Cæsar Regem captū liberaliter atque humaniter. Ego verò si hoc vocatis humaniter hominem tractare, quōd confecto bello, atque armis longissimo iam interuallo positis, non occiderit, quōdque magno suo ex redemptione commodo dimittere, quām inedia pædoreque confiendo, simul redemptio- nis pretiū amittere, simul famæ periculū subire ma- luerit (quorum vtrunque nullis vñquam barbaro- rum tyrannis in mentem vt committerent venit).

h.i.

non diffitebor sancè humaniter fuisse tractatū Regem à Cæsare. Sed cum memoria ipse repeto, Cæsarem supra redēptionis p̄tium immanius (vt dicebā nuper) quām quo antea Francorum Reges se ab hostib⁹ Saracenis redemerint, amplissimis Regē patrimoniis spoliasse, ornamenti⁹ regni quā plurimis mulctauisse, atque alias adieciſſe cōditiones partim quā ignominiosæ ſint, partim quas ipſe Rex p̄fſtare nec ſi debeat poſſit, nec ſi poſſit debeat, quāſque nemo ſimul ac intellexit, nō iniquas, vt reuera ſunt, iudicauit, ego humaniter eum fuisse tractatum nego. Mitto, quōd nec dimiſſurus erat, quanuis iniquis iis conditionib⁹, niſi medici qui- bus ægroti Regis cura à Cæſare ipſo cōmiſſa erat, diligēter eum admoniſſent, vix futurum vt Rex (etia ſi ad tempus recreari videretur à morbo) plenē tamen cōualeſceret, aut diuturnioris vitæ foret. Itaque ſummopere Carolum hortabantur omnes qui conſultum illius commodiſ volebant, vt accep- triſ obſidibus duobus liberis natu maximis, Regē ipſum dimitteret: qui ſi forte in vinculis moreretur, tū aliquod inde ſubiturus eſſet Cæſar fama ſuā periculum, tum omnis illi ſpes expectatæ p̄dæ peritura. Contrà verò ſi liberatum Regem datis obſidibus liberis, ē viuis excedere contingere, tum alterum eius loco Regem: atque ſi etiam is moretur, alterum item demortui loco ſubſtitutum habiturus Cæſar videretur. Quibus demum hor-

rationibus motus ac persuasus eſt (vt tum ego ex Cæſarianis intellexi palam hoc dictitantibus) longe cautiſ ſibi proſpectum fore, ſi duobus adolescentibus quaſ Regibus valetudinariū vnum permutaret: qui & ipſe ſi cōualeſceret, nihil minus pro filiorum quām pro ſua ipſius liberatione ac ſalute, pro paterno animo humanique ingenii ſenu ſollicitus ſemper foret. Habes igitur qua viſus ſit Cæſar in captiuū Regē humanitate atque liberalitate. Cui ſi consilii illius in mētem veniſſet, quod Samnitum Imperatori ſenem patrē dediſſe Liuius tra- dit, intellexiſſet inter clementiam & crudelitatem quaeri medium non debere. Iam erga Regis libe- ros vt ſe geſſerit, intellige. Optimates viros & ma- tronas aliquot nobiles, qui formandæ ac dirigen- dæ illorum ætati traditi erant, atque ipſum etiam pædagogum à quo literis instituebantur, procul ab illis amandauit, cæteros omnes minoris authori- tatis ministros, & in iis plerosque non ignobiles, quibuscum in Hispaniam accepta fide publica ve- nerāt, à famulatu illorum per vim atque iniuriam abſtractos, contrāque ius gētium ferreis compedi- bus & catenis vincltos in triremium ſuarum dedi- dit remigia. Audio etiam minimum abſuſſe, quin & pumilionē abſtraherent, quem vnicū apud illos Gallū hominē reliquerūt, eum, vti fertur, quōd vix cubitalē excederet altitudinem, remo trahēdo im- parem fore arbitrantes. Eos cum in triremibus du-

rissima quæque & indignissima diu passos saltem
pretio pro dominorum suorum liberatione per-
soluto, vñà liberari decuisset, idque, vt fieret, cautū
fuisset ex foederis formula:tamen rogatus Cæsar, &
per nobilem virū eius rei causa illuc à Rege mis-
sum appellatus, non dimisit: neque aliud caufatus
interim esse dicitur, quām triremes suas, si tum eos
dimisisset, ab remigum penuria adduci posse in pe-
riculum. quasi vero non honestius fuisset mercena-
rios conducere, quām hanc innocētibus homini-
bus tam insignem iniuriā facere. Verum eæ trire-
mes, quibus miseri illi, nō vt Regiorum liberorum
ministros decuit, sed vt noxæ dedititii, transtris alli-
gati vehebantur, à piratis Mauris capti sunt, & illi
ipſi ex Christianorū vinculis, in Maurorū incide-
runt manus, apud quos foedè quidā perierunt, qui-
dam adhuc miserabiliorē morte vitam trahunt,
procul à parentū, ab vxori, à liberorum suorum
complexibus. quibus foelicius cecidit, ii Tunete op-
pido à Cæfare capto, sese in Galliā semiuiui, atque
stipem emendicantes receperunt, ne quadrāte qui-
dem à Cæfare (cuius per iniuriā tam indigna passi
erant) quò se domum reciperent, subleuati. Hæc est
illa, quam adeò magnifice Cæsariani iactant, Cæ-
saris humanitas: nisi hoc addere forte velint, atque
humanitatis loco ponere, quod serenissimam no-
stram Reginā, sororū eius natu maximā, quæ nec
bello capta, nec alioqui obſes erat, multos annos

vi tenuerunt, ne se ad Rēgem virū suū opta-
tissimum reciperet.

Respondi meo iudicio ad omnia literarum tua-
rum capita. sed hæc velim tibi tantum, nō omni-
bus esse scripta existimes: quod hæc mihi à Rege
meo demandata non sit prouincia: per quem ego
quidē plenius edoceri atque instrui tota de re po-
tuissem. Quicquid tamen, amice optime, his literis
tibi exposui, ita mihi Deum esse propitium velim,
quemadmodum bona fide, vt se habent omnia,
exposui: in quo ego te fidem mihi habiturū haud
dubito, vt quem adhuc nulla in re vanum esse de-
prehenderis.

proframed ad scribis
in propria lingua sumpta

Exemplum respōsio-

N I S C H R I S T I A N I S S . G A L L I A-
rum Regis, ad orationem, qua Cæsar in eū Ro-
mæ inuestus est, Latinitate donatum, in gratiam
eorum qui Gallicè non nouerunt.



A X I M E vellem Bea-
tissime Pater, amplissimi
Cardinales, & diuer-
sarum gentium clarissimi
Legati, tum præsentis
mihi adesse contigisset,
quum istic Carolus Cæ-
sar, quæ illi sint ratio-
nes & causæ mecū, lon-
ga oratione vobis exposuit. Commodius enim ad
singula capita respōdissem, neque suspensa, vt nūc,
alterius tantum actione percepta, iudicia vestra te-
nerētur. Sed quoniam id mihi per absentiam non
licuit, existimauit mihi esse scripto satissaciendum,
ad ea duntaxat, in quibus honos meus agitur, &
veritas inuoluitur ac tegitur: quò vos ipsa re vobis
ante oculos proposita, facilius in quo totum cōti-
neatur negotium, intelligatis. Quāquam id ipsum
quoque, quām mihi sit futurum difficile, non am-
bigo: quod nec Cæsar Legatis apud se meis, illius
suæ orationis exemplū tradere: nec Legatus eius,

quæ de scripto recitauit, eorum describēdorum co-
piam facere voluerit. Itaque ad ea tantum respon-
debo quæ vel ipse memoria vtcunque commen-
daui, vel meorum ad me literis sunt perscripta. Sed
me in his difficultatibus tuæ (Beatissime Pater) æ-
quitatis rectissimique iudicii persuasio, & quam de
illo vestro amplissimo confessu opinionem conce-
pi, plane recreat ac reficiunt: magna vt me spes te-
neat, fore, vt nudæ veritatis causa, et si propter has
difficultates iniquo in primis loco cōstituta, tamē
aditum ad omnium & singulorum animos om-
niū affectuū vacuos inueniat. Ac ne diutius ex-
pectatione vos teneā, sane Cæsar dum quæ à se fa-
ciunt, amplificare oratione: contrà quæ à nobis aut
subterfugere reticendo, aut obscurare dicendo vo-
luit: mihi eius quam texendam suscepit historiæ
dimidiam tantum partem attigisse visus est: atque
ex tota causa id quod sibi commodum esse iudi-
cauit, elegisse. Ac primo quidem, dum ab eo ex-
orditur loco, quòd cum ego primum ad regni hæ-
reditatem sum vocatus, illustrissimum virum A-
naxonensem Comitem ad me miserit, retainendæ
confirmandæque inter nos amicitiæ gratia: simul
meminisse debuit, se à nobis reiectū eo tēpore non
fuisse, quo potissimū hæc amicitiæ inter nos cōci-
liatio, magno ei futura erat(vti certe fuit) præsidio,
vt scilicet (quod maxime omnium rerū cupiebat) è
manibus se subduceret Margaritæ amitæ suæ, & ab

auis sui Maximiliani (qui tum eius tutelam inuiti & ingratis administrabat) potestate atque imperio eruptū affereret. Atque dum adiicit (id quod ego etiam tum ex literis mei apud eum Oratoris intellectu ex auctoritate) se accepto de victoria mea, dēque receptis Insubribus nuntio, non minorem cepisse animo voluptatem, quām ex alia quauis re fuisset accepturus: cur me sperare non debuit, si par illi successus cōtigisset, atque in se beneuolo futurum animo: qui quām illi eius rei memoria obstrictū esse me sentirem, nunquam præ me dissimulanter tulī. Magis autem miror subiecisse illum, se quum ab aucto suo Maximiliano vrgeretur, vt dū ego Insubrico bello implicitus essem, aliud mihi bellum inferret, morem ei tamen in gratiam meam non gessisse: quasi verò nesciat, obligatum se iurisurandi atque existimationis periculo, ne id aggredetur, fuisse. vt taceam quod eodem ipso illo tempore, ego egregiam illi, & ex animo nauabam operā: neque mihi prius esse cōquiescendū putauī quām ille Hispanias om̄nes (quā non adeò lubētes illum Regem accipiebant) dicto sibi audientes habuerit. Nec cuiusquam ego præterquam ipsius vnius stare velim testimonio, quid tum ego, quid Legatus meus à me ita iussus, ex ipsius commodo vtilitatē que suscepit atque perfecerit: fauōrque meus & coniunctionis nostræ authoritas, quantū ipsius rebus opis atque incrementi attulerit. Addit subin-

de pacti sibi cum altera filiarū mearum matrimonii mentionem. Ego verò persancte me asseuero, cum ad me de obitu earum allatum est, non maiorem ex patro sensu dolorē cepisse, quām quod eruptam mihi hanc videbam arctioris cum illo amicitiæ conciliationem. At cum subdit eo tempore quo ego & ille ad Imperii dignitatē vna uterque aspiraremus, subortā primum inter nos fuisse quandam veluti zelotypiam & similitates subinde natas: quanquam ego tamē eius apud me Legato sæpen numero professus eram, me perinde hanc honorū petitionem existimare, atque si easdem uterque nuptias ambiremus: me adeò (vt cūque res causa effet) in eadem velle cū ipso amicitia integra inuiolataque permanere. Ego proculdubio iis me verbis apud eius Oratorem usum esse nō negabo: neque tum certe orationi meæ voluntas non consentiebat. Quod verò queritur vbi Cæsar fuit renuntiatus, me obsides ab se flagitasse, non contentum ad amicitiæ nostræ firmamentū superioribus foederum vinculis: adhac nouam sibi matrimonii mentionē cum Renata meæ vxoris forore iniecerit: agnosco equidem omnes à me initas esse rationes, vt hæc nobis amicitia sancta esse posset atque sempiterna. Atque adeò, si cum filiarū mearū natu maiore mihi fato erupta, altera tam tenera ætate effet, vt nuptiarum expectatio diuturniore effet futura, ego nihil mihi humanarū rerū prius agendum

esse iudicauit, quām de rēnōuāda (nam ea res noua non erat) cū Renata matrimonii mētione: perspicuum eo ipso facere Carolo volui, me quacunque fieri posset ratione, retinendā eius amicitiā studiosissimū fuisse. Nec aliō spectauit quā hic ipse obiectat obsidū efflagitatio. Etenim quōd annua cētena solatorum nummūm aureorum millia, quā mihi Neapolitani regni ergō ex foedere pactus erat, diu soluere differebat: ego, ne cōcidente fide ob dilatam multorum annorum pēsionem, amicitiā quicquam decederet: obsides aut potius prædes esse mihi flagitādos duxi. Quos vtique petiturus non eram, si ad constitutā diem mihi Carolus nomen dissoluisset. Cuius procrastinatio tamēsi paulo mihi diuturnior visa est, non adeō tamen ex ea commotus sum, vt (quod ipse quiritatū) ego vel in Germania quēquam aduersus eum per Legatū meum solicitauerim, vel Robertū Marchianū vlla ratione in eū cōcitauerim. Mandauerā equidē Legato meo vt sacri Romani Imperii ordines, quibuscū me tū peruetus amicitia, tum Principatus Mediolani ratio sociarāt, per occasionē mihi salutaret, mēq; ostenderet nō ignarū esse, quānā mea esse deberet & cū illis societas, & erga illud ipsum sacrosanctum Rom. Imperiū obseruātia. Et Legatus quidem ille meus in comitatu etiamnū agēs meo, sanctissimē deierat se præterea nihil quicquā in Germania molitū esse. Quōd si secus fecisse cōuincatur, proculdu

bio nec volente, nec scīete me, nec impune latus id fecerit. In Robertū autē ego Caroli Oratori etiam auxiliū, si rogarer, ex foedere me latus obtuli: & militē quem Robertus in regno meo insciente me conscripserat, statim vbi ad aures meas permanauit, grauissimis edictis reuocauit: nec id sine magno Roberti incōmodo, qui præter spem ab eo milite nudatus, haud ignobiles arces non ita multo post vi ac deditio[n]e captas amisit. Nauarrotū autem Regi Henrico, quōd tulerim suppetias, mihi hoc criminōsum esse minime potest. Etenim iis foederibus quā Carolo mecum intercedebant, accurate hoc exceptum erat, nisi præfinito tempore, cū Henrico illi cōueniret: ego quas alio ex foedere Henrico debebā suppetias, rogatus ferre possem: idque etiā fide in Carolū integra, & in uiolatis quā inter nos icta essent foederibus. Itaque suppetias Henrico tuli, sed Carolo præmonito: atque ita tuli, magis vt mihi verendū sit, ne Henrici conquestio, quōd serius, quām Caroli accusatio, quōd tulerim, improbitatis sit maculā allatura. Quibus ex rebus Beatissime Pater, vñque amplissimi Cardinales, & clarissimi Legati, satis (mea quidem sentētia) intelligitis, nullius nos culpæ ex hoc priore bello affines dici aut haberī posse. De foedere autem Madrilensi (quod vocant) apud Mantuam Carpetanorū iecto iam toties ac tā abundē à nobis dictū est, vt hīc quicquā repeterē superuacaneum

esse mihi videatur. Tantum hoc constanter affirmabo, virum bello captum (id quod apud omnes cōstat) si posteaquam de redemptione pepigit, adhibita custodia obseruatur, liberādæ fidei, cum habita ei non fuerit, reum non esse. ego verò non modo toto itinere, ex quo id foēdus iustum fuit, sed etiā ad Fontem rapidum, quo primum ex loco sum dimissus, etiam maiore quam dum essem Mantua, præsidio ac diligentia obseruabar, adeò ut obstricta illis fidem habuisse, qui diligētiæ suæ potius quam fidei meæ confidebant, nullo iure cōdemnari possum: imò libera fide atque sine vlla obligatione me ad meos receperim. Quare quod addit Cæsar fuisse sibi antequam ego dimitterer indicatum, ex me plærosque audiuisse, non seruatum iri eius pacis & foederis conditiones: equidem id me dixisse non dissimulabo. Videbam enim eiusmodi esse conditiones, quas seruare, neque si poterā, debuissem: neque vt vellem, potuisssem. At foederis Italici societas, à qua sibi Cæsar, vt liberos mihi meos restitueret, denuntiatum fuisse inquit, eò contracta fuit, vt per eam ipse ad aquiores adduceretur cōditiones, & pro redēptione mea cōtentus pecunia esse vellet. Lautrecanā verò expeditionem, sicut omni asseueratione confirmo ad liberandum captiuitate Pontificem initio susceptā fuisse, ad quod maiorum meorum exempla me inuitabant: ita fateor me liberato eo, & Cæsare ita pertinaciter om-

nes recusante conditiones, omnis vt spes pacis iam sublata esset, opportunitatem hāc ex adornati iam exercitus occasione amplexum fuisse. In quo bello si (quod obiectat Cæsar) occubuit Lautrecus Dux strenuus, imò (quod dissimulare nequeā) bona pars exercitus foēde periit: tamē negare nō poterit, quin si Deo Optimo Max. visum fuisset, ita meum exercitum à pestilēti clade, sicut ab hostium vi adhuc fecerat, defendere: alio atque inclinauerit, rem omnino inclinaturam fuisse. Samarobrinensis porrò conuentus indictus cum fuisset, ad ea mitiganda, quæ in Madrilensi pactione iniqua nimis, neque tolerabilia videbantur, non modo non remissum aliquantum & relaxatum est, sed inquis conditionibus iniquiores etiam sunt adiectæ: quas ego tamen accipere sum coactus, quod me tæderet indignæ ac diuturnæ liberoru captiuitatis, quorum calamitas ex dulcissima commendatione naturæ, mea mihi calamitas esse videbatur. Quæ cū ita sint, nunquam tamen vel in maximis rei gerendæ opportunitatibus, vt à pactione discederem, aut in eam quicquā offenderem adductus sum: imò verò quo tempore Turcarum exercitus bellum in Austria circuntulit (ad cuius me rei mentionē Cæsar reuocat) ego Balansono qui ab eo missus caphractos equites, & pecuniarium à me flagitabat subsidium, quanquam de pecuniis quidem nō affensi, quod nummularius non sim, à quo pecunias

flagitare Cæsar debeat: cui tum satis esse oportuit, quod vices centena millia nummum aureorum a me recens accepisset: tamen obtuli liberaliter, quod maiores mei, quibus nihil vñquā est præscriptum, vbi de ipsorum aduersus hostem religionis ageretur officio, præstare sunt soliti, id me perlubentem esse Christianæ reipu. præstaturū: vt copias scilicet meas omnes (etsi multæ mihi tum proponebātur à bello quiescendi occasiones) tamen ipse præsens, vel ad tuendā Italiā, cui tum etiā Turca imminebat, vel aliò quoçque rei postularet necessitas, educerem: ita tamē vt Cæsari nihilominus principem ea in expeditione locum nō grauarer ex officio cedere: ac ne suspectæ cuiquam essent vires meæ, potiorē exercitus mei numerum ex milite Germanico conscribere. Quò vocatus si fuisset, eo procul-dubio descensurus eram apparatu, bonā vt partem eo ex bello accepturus fuerim, vel gloriæ vel periculi. Iam quod attinet ad Bononiense fœdus, atque cædem Marauilliaæ mei apud Franciscū Sfortiam Legati, non video quare horū mentionē Cæsar hoc loco facere voluerit. Nam Bononiense quidem fœdus, quem ad finem ictū fuerit, plane omnes recordamini. At Marauilliæ cædes, etiā vt ille quicquā aliter molitus sit, atque Oratorē decuerit, (id quod minimè mihi persuadeo, certe nullum à me huiusmodi habuisse mandatum scio) tam indigna tamē fuit, tā sceleris & nefandi flagitii plena,

vt antea nunquā existimauerim Sfortiæ factū istud à Cæsare probatum iri: qui quò amplius habet, atque latius patens Imperiū, eò pluriū Legatorū opera, atque apud plures vt indigeat necesse est. quamquam (vt verū ingenuè fatear) vbi me intellexi de tam immani scelere apud ipsum Cæsarē affinem & foederatum meum, Sfortiæ verò dominū, à quo tam atrocem acceperā iniuriam, frustra querimoniam detulisse, cōmotus sum sane: neque dissimulabo, nihil quicquam vñquam mihi accidisse tam improuisum ac inopinatum, quām hoc turpissimum Sfortiæ facinus laudatorem Cæsarē habuisse. Quòd subinde Cæsar obiectare ausus est, à me præter Samarobrinense fœdus, quædam aduersus se in Germania esse constituta atque inita consilia: maximèque bellum Virtembergicū meo ære fuisse gestum: profiteor hoc ego iterum, atque agnosco, me in Germaniam sāpenumero Legatos misisse. Nam & ego & maiores mei, cōiunctas semper habere voluimus cum Germanis Principibus & ciuitatibus rationes. Nostra etiam memoria visum est, quanuis inter se nonnunquam Cæsares & Galiarum Reges bello contenderent, Germanicæ tamen & Gallicæ nationum amicitiam ac societatem non ideo fuisse dissolutam. Tum à me pecunias esse Virtembergæ Duci numeratas, nunquam ire inficias volui: ex quo Duce montis Pellicardi oppidum emeram, quod is tamē vertente

anno reddita (vt inter nos conuenerat) pecunia redemit atque recepit, me non perlubente profecto, qui oppidum illud quam pecuniam mihi maluissem. In quos autem usus ille pecuniā esset cōuersus, nūquam ad me pertinere vt sciscitarer, arbitratuſ sum. At hoc magis miror, non fuisse hoc loco à Cæſare prætermisſum, (de quo ego quam honestè queri possit non video) aliquot videlicet eius ex ditione bello à meis captos homines, diutius fuisse in triremibus asseruatos. Simul enim meminisse illum oportuit, quam indignè meos triremiū suarum addixisset remigiis, præter æquum & honestum, ac per summam iniuriam à liberoruſ meorum obſidū famulatu comitatūque vi abstractos: simul suos quum fateatur ipſe Cæſar statim meis à ſe missis per me quoque fuisse liberatos, ignorare non potuit à ſeipſo moram fuisse, quominus ipſe suos quoque maturius ex me recipere. Quod adiicit quosdam in ſe principes Italiae viros, à ſe fuisse per Dinteuillanū ſolicitatos: ego id mihi certe non facile persuaderim: etenim neque ullū à me Dinteuillanus mā datum ea de re acceperat, neque ullum mihi cum Cæſare bellū id temporis intercedebat. Quod si mihi aliquot inſignes ex Italica nobilitate viri mereant, haud video quemadmodum Cæſar initoru in ſe confiliorū aut violatorum fœderū inſimulare me hoc obtentu poſſit. Qui ſi voluerit, dum tam creber eſt in commemoranda li-

bertate Italiae per ſe reſtituta, hoc interim Italica nobilitati iugum imponere, vt ab eo cū recesserint, nulli hominū dare nomen audeant: hoc certe fuerit libertatem eorum ſimulatione propugnationis expugnare, ac re ipſa feruitutem ementito nomine libertatis imponere. Atque vt iam ad Mediolani Principatū veniamus, ſæpe mihi Cæſar per Legatos ad me ſuos ſignificauerat, niſi fidem ipſe Francisco Sfortiæ iam obſtrictā habuiffet, cum ſe Principatum mihi omnino traditurum fuiffe. Itaque mortuo Francisco, ſublataque ea excuſationis cauſa, quum veniſſe tempus viderem, deeffe mihi ea in occaſione nolui. Miſi qui eum Principatū mihi à Cæſare repeteret. Significauit ille ſeſe vni ex filiis æquiore animo traditurum. Aureliorum Ducem nominaui, in quē vt ego potius quam in aliorum quemuis hunc transferri Principatum cuperem, multæ me & magnæ rationes inuitabant: quas, quoniam ego non ad regni mei pacificationem tantummodo, ſed ad totius etiam Christianæ reipub. pacem, otium & quietem pertinere maxime arbitrabar, Cæſari commemorandas & explicandas curauit: etiam atque etiam rogans & obſecrās, vt quæ ſua, eſſet ea de re mens & cogitatio, mihi aperte atque ingenuè indicare vellet: quemadmodū & ego mea omnia conſilia cādidiſſime, citrāque omnem diſimulationem, eius Oratori expoſueram. Tandem post multas vltro citrōque nuntiorum & li-

terarum missitaciones, Orator eius acceptis, vt aiebat, ea de re mandatis, mihi asseuerauit postulatis esse meis assensum: tantum vt Principatus eius vsufructu cederem, quem deberi mihi cotendebam. Nolui hanc vnam vsufructus controuersiam retinendā inter nos amicitiæ moram ullam afferre. Cessi, renūtiaui, Cæsarem de animo ac sensu meo certiorem feci. plane, vt iam nihil videam quod pacem inter nos atque amicitiam impedire posset, modò quæ Legatus eius est pollicitus, ea dunataxat præstare Cæsar, & caueri sibi æquis tantum & honestis conditionibus velit, quemadmodum ipse quidem eo tempore, quo hæc inter nos tractabantur, se facturum affirmabat: quippe qui fateatur, si alias proponeret conditiones, satis signi se daturum, nolle omnino vt inter nos conueniat.

Igitur dici nō potest, per me stare quominus pax inter nos fiat, quū in easdē ipsas conditiones, quæ mihi sunt ab eius Legato propositæ, descendem. à quibus ipse si discesserit, omnis in eo neglectæ pacis culpa, nulla in me residet. Ego enim retinendæ pacis tam sum & fui studiosus, vt etiam superiori tempore quo nec mihi Cæsar nec liberis meis Mediolani Principatū restituit, nihil aduersus eū molitus sim: imò quo tempore Turcicus exercitus in Austriam mouit, non modò à bello quieui, sed copias etiā meas (vti modo dicebam) obtuli. Et cum Cæsar expeditionem adornaret in Aphricam, ego,

vt ipse voluit, cum omnibus pacem colui: & quod facere tum poteram, minore, quā nunc obtinente Italianam Cæsare, impēdio meo & periculo, à repetendis & recuperandis meis abstinui. Qua in re tuā in primis conscientiam Paule Pontifex Maximus implorare mihi libet. In cæteris verò omnibus, quæ ad Christianæ reip. quietē & cōmoda pertinent, nulli concedere velim Christianorū Principum, vt ea maiore quā ego, prosequatur affectu ac studio, cuius mei instituti esse possunt indicia solidā satis & expressa, Gallorum meorum mores ac disciplina. Quāobrem Beatissime Pater, vōsque amplissimi Cardinales, & clarissimi Legati, ea omnibus nota patientia, qua mihi factas iniurias hucusque tuli: hæreditaria mea, & meorum filiorum bona tot iam annos me ferente per alios occupata: interdictū nequid mei quod in re aut possessione Cæsaris esset, attingeret: copiarū mearū à Vercellis de medio quasi iam despōsæ ac destinatæ victoriæ cursu reuocatio, & nequid tumultus excitaretur in statuis collocatio: cōstituendæ pacis amplissima & libera facultas Cardinali Lotharingo permisſa: postremo vsufructus, de quo memini, cessio, satis declarant, pacéne an bello recuperare nostra maluerim. Neque verò sanctitati tuæ mirū hoc loco videri debet, si, quod sentio, liberius profiteor. Nam si occupator alieni quiritari audet interim ac dolere, ego quid facere debeam, qui tam ampla patrimo-

nia videam mihi ac liberis meis per iniuriā auferri, & nostra cum ignominia retineri? Quod verò ad Sabaudiæ Ducem pertinet, nō video qua ille se tueri aut defendere ratione possit, apud quē toties expostulatum sit, à quo toties flagitatū, vt decidere iudicio mecum vellet de iis rebus, & quas à maioribus suis nullo iure occupatas, meo damno possidebat, & quas hæreditario iure pertinere ad matrē meā, cuius mihi sancta semper erit memoria, ambigere non poterat. quæ ipsa quidem mater mea dum viueret, sæpe ad eum certos viros repetitum sua quum miserit cum mandatis (vt sororem decebat) humanissimis: ego quoque ab ipsius morte viros meæ causæ peritissimos, quique vel disceptatoribus iis, qui sunt illi à consilio, eadem in iudiciū deducerent, legauerim: neque quicquā in legationibus tandiu profecerimus, necessariò mihi venendum ad arma fuit. Qua in re verò nihil à me peccatum est in ea fœdera, quæ cū Cæsare mihi intercedunt: quibus etsi prohibeοr, vt ne cum vlo Italiæ Principe aduersus illum cōfilia communicem, non video qua ratione bellum istud Allobrogicū ad se spectare Cæsar arbitretur, vel ad eam causam vlo modo pertinere: quum interim exercitus meus, vti nunc dicebam, nihil earum rerum prorsus attigerit, quas intellectum sit ab eo quo iure quāve iniuria possideri: atque vt ne id fieret, diligenter omnibus à me fuerit interdictū. Neque enim

si fœdere Samarobrinči Sabaudiæ Duciis mentio inter Cæsaris fœderatos iniecta est, cōtinuo tamen earum rerum quas is ad me pertinet occuparet, ius in eum esse translatum intelligo: quum nec eo in fœdere nomen eius vt nobiscum transgentis a scriptum sit, nec vox de rebus meis, quæ ab illo tenebantur, vlla eo in conuentu missa. Itaque fœderis eius tabulæ me cessisse iure meo nulla coargere ratione possunt. Atqui ego & antea sperauī semper, & nunc etiā spero fore vt Carolus pro necessitudine affinitatēque nostra, meā potius iure ac legibüs nitentem, quām iniquam Sabaudiensis causam, sibi esse suscipiendam ducat. Tametsi hoc ego tamen video (id quod satis mirari nō possum) cæterorum factum, qui & ipsi armis in Sabaudiensis bona inuaserint, à Cæsare non reprehendi: dunataxat reprehendi meum, qui cum illo sim maximis vinculis & propinquitatis & necessitudinis coniunctus: neque mihi vendicare quicquam in quo perspicuū ius, & clarus ipsa luce non habeam, voluerim: neque nisi rite repetitis rebus arma ceperim. Atque adeò Beatissime Pater, paratus sum sanctitati tuæ, si hoc ita libuerit, rationes omnes meas ex tabulis authenticis comprobare, vt quæcunque dixerim, nihil omnino discrepare à vero intelligas. Quod si ille in animum induxerit, mea mihi reddere: vicissim ego, siquid mei præterea occuparunt, nō grauabor illi restituere. Iam quod Cæsar in-

quit, si de pacis inter nos retinendæ conditionibus conuenire nō possit, ē re atque cōmodo fore Christianæ reip. nostras vt cōtrouersias singulari certamine dirimamus, ego quum hactenus (siquis vitæ meæ splendori notam vllā allinere tētauerit) abunde mihi satisfecisse videar: & quū hæc duelli à Cæſare commemoratio, voluntatis tātum declaratio, non etiam prouocatio esse videatur, aut decoris atque honestatis nostræ oppugnatio: ego inquā breuiores esse nostros enes, quam vt tanto interuallo disuncti cōgrediamur, existimo. Quod si nos proprius occasio aliqua stiterit (id quod mihi credibile est futurū, si res ad arma redierit) atque si tum Cæſar eāndem retineat, quam nunc se habere ostēdit, decertandi mecum voluntatem, mēque tum ipse ad certamen prouocare velit: nō recuso, quin si estimationis meæ defensioni defuero, probi me atque graues viri quasi profligata famæ hominem repudient. id quod mihi tamen acerbius multo futurum esset, quam cū illo singulariter armis decertare formidolosius. Quod subinde declarauit, neque à se quicquam accusandi, aut fugillandi mei causa dictum, neque dicta sua velle à quoquam ita accipi, quasi spe pacis omni sublata, iam classicum veluti cecinerit, ego verò non minimam ex ea re voluptatē me cepisse profiteor. Hæc sunt porrò Beatiss. Pater, ampliss. Cardinales, & clariss. Legati, quæ apud vos commemorare volui, non accu-

satoriè id quidem, aut lādendi cuiuspiā animo, sed purgandi mei causa: vt omnes intelligāt quām ego in publicæ pacis studia & commoda reip. propensa sim voluntate: perspiciantque omnes ad arma cum Cæſare deueniendi culpam, sicut à me adhuc absuisse, ita semper abfuturam: id quod omnes sine vlla dubitatione iudicaturos spero, & confido; quicunque secū accurate reputauerint, ad quas ego me cōtinendæ pacis studio dimiserim cōditiones.

Literæ Christianiss.

GALLIARVM REGIS AD ORDINES sacri Romani Imperii.

F R A N C I S C V S Dei gratia Francorum Rex,
Reuerendissimis, illustrissimis, amplissimis, inclytis, magnificis & spectabilibus sacri Romani Imperii ordinibus, amicis & foederatis charissimis

S. P. D.



I T T I M V S istuc ad
vos ex nobilibus cubiculariis nostris, Guliel-
lum Bellaiū Langiū, nostrū Bailliuum Am-
bianēsem, vobis nostro nomine certa quādam
expositurum. Ei fidem si adhibueritis, rem no-

bis feceritis gratissimam.

Reuerendissimi, illustrissimi, &c. Altissimus vos
cōseruet. Datum Lugduni die x x x mēsis Maii.
Anno. D. M. D. X X X V I. Sign. F R A N C O Y S.
& paulo inferius à secretario, Bayard. In superscrip-
tione autem, Reuerendissimis, illustrissimis, &c. sa-
cri Rom. Imperii ordinibus, cōsanguineis, amicis,
& foederatis charissimis.

Ad eosdem literæ se-

RENISSIMORVM EIUSDEM RE-
gis liberorum.

F R A N C I S C V S Dei gratia, Christianissimi
Galliarū Regis primogenitus Delphinus Vien-
nenis ac Britanniæ Dux, &c. Henricus Aurelia-
norum, & Carolus Engolismorum Duces, &c.
eiusdem Christianissimi Regis etiam filii: Reue-
redissimis, illustrissimis, generofis, magnificis &
spectabilibus sacri Romani Imperii ordinibus,
consanguineis, amicis, & foederatis charissimis s.



V L I E L M O Bellaio
Lāgii domino Christia-
nissimi Regis patris, ac
domini nostri semper
obseruādi consiliario &
intimo cubiculario, ad
vos de arduis ac ma-
gnis rebus nūc Legato,
quādam etiam ad vos
mādata communiter dedimus, super hāreditariis
quibusdā nostris rationibus: quarū nomine quum
eiusdem sacri Rom. Imperii beneficiarii & clientes
simus, visum est nobis, apud alios quām apud ve-
stros ipsos amplissimos ordines conqueri non de-

bere de iniusta ac violenta nostratum rerum occu-
patione. Cuius indignitatem vobis coram exposi-
turo, eandem à vobis fidem adhiberi velimus, quam
nobis ipsis, si præsentes vobiscum vna loqueremur,
haberetis.

Reuerendissimi, illustrissimi, &c. Deus Opt. Max.
sacrosanctum istud vestrum Imperium tueatur sem-
per atque etiam augeat. Datum Lugduni Calendis
Iunii, M. D. X X X V I. Sign. F R A N C O Y S,
Héry, Charles: & paulo inferius à secretario Clau-
se. & in superscriptione, Reuerendissimis, illustrissi-
mis, &c. sacri Romani Imperii ordinibus, consan-
guineis, amicis, & foederatis charissimis.

Literæ à legato Chri-

STIANISSIMI REGIS, ET SE-
renissimorū eius liberorū, ad Principes Electo-
res & alios sacri Romani Imperii Principes, Da-
ta mensē Julio, M. D. X X X V I.



Euerendissimi, illustris-
simi, & excelsō loco na-
ti Principes, &c. Quo
tempore vēturus in Ger-
maniā à Christianissi-
mo Rege dimittebar, is
& serenissimi eius libe-
ri, quum & literis & fer-
mone multorū accep-
sent, atque ita persuasi essent, amplissimos sacri Ro-
mani Imperii ordines conuentū inter se hoc tem-
pore habituros, literas & mandata communiter ad
eum conuentū mihi dederat, vt senatū sibi dari fla-
gitarem, quo vos libere ac tutō, citrāque omne of-
fensionis vllijs periculū, tam de suis rationibus ad
Insubres atque alias hæreditates abs se vi atque in-
iuria abstractas, per Legatos earum actionum peri-
tos edocerent, quām apud hoc sacrosanctū Impe-
rium, in quo dignitatis suæ splendorem obtinere
semper cupiunt, sui facti rationē probarē, & singu-
la in se intentata maledicta potius quām crimina

dilueret. Verum postquam in Germaniam perueni, simul didici, neque in praesens haberi, neque propediem habitum iri concilium: simul mihi minime tutum fore, vestras singulatim adire atque appellare amplitudines: quin à plerisque summa dignatione viris amicè ac serio sum admonitus, mihi extrema omnia intentari, si vspiam in Germania publicè apparerem. Cōmotus sum ex eo sanè nō mediocriter, neque meo tantū & Regiæ causæ periculo (quanquam & eo quoque) sed ipsius etiā rei nouitate, simul & indignitate, quod nō magis Regem meū violari, quam vos ipsoſ, quam sacrosanctam huius Imperii & Germanicæ nationis authōritatē intelligebā. Quibus olim cū diuina clementia eam animi & roboris excellētiam impertierit, vt non sua tantum, verum aliena quoque ab omni iniuria vindicare, propugnare, tueri in animum inducerent suum, quis nō dignum omni commiseratione iudicauerit, huc iam vestram recidisse libertatem, vt hoc vobis ferentibus atque conniuentibus, admittere quisquam, aut repudiare pro suo arbitrio, Regum & Principū legationes iubeat: quibus velit aditum ad vos patere, aut intercludi edicat: & iis edicat nominatim, qui authores generis eosdem habent, quos habetis Imperii, siue Francos esse, siue Frācogermanos malueritis, quique supra ea quæ in Germania & Italia, & vbiuis gentiū multo suo sudore ac sanguine huic ipsi per se vobis cō-

ciliato & veluti postliminio ad Latinos è Gracia redacto Imperio pepererat ornamēta pacis ac liber tatis præsidia, iis etiam quas per amplas ex suorum antiquo patrimonio proprias ad vtrāque Rheni ri pam obtinebat prouincias, liberaliter auxerunt no men, atque fines Germaniæ, honestarunt hoc Imperiū: tum res suas ita vobiscū semper amicè cōstitutas habuerunt, vñ, ratione, cōcordia, vt ne in gra uissimis quidē & pertinacibus bellorū, inter Reges suos & Cæsares vestros incendiis (quod nō ita pri dem experti estis) vestra cū illis societas, & mutua inter vos cōmunicatio dissoluta vnquam aut dissipata fuerit. Ab iis inquā ius gentium in hoc Imperio defuderabitur, vt sociorū Legati sint apud vos sacrosancti, quorū nomē eiusmodi esse debet, vt etiā inter hostium arma versetur incolume? Sed hanc, Principes amplissimi, & alias tam indignas quam insolitas fibi factas iniurias permittit Rex æquissimo Dei omnipotentis arbitrio. Ego verò, qui me videbam ab illo, & serenissimis eius liberis nullam magis ob aliā causam in Germaniā esse missum, quam vt vobis quibus vt ius designādi Cæsarī, ita permissa sunt beneficiorū & clientelarū Imperii iudicia, controuersas illorū causas explicarem, & eorum patrimonii occupatores ex iure manu cōseratum vocarem: de quo patrimonio iudicium detractasse deferuntur, & quo proculdubio eō carent ægrius, quod illius causa inter huius Imperii amplif-

simos ordines haberi enumerariq; possunt, atque adeò gloriosum sibi esse ducunt. Ego inquam, ne omnino mea illis legatio frustra esset, quod me coram facere summo fine periculo non posse admotus erā, per literas id exequi cōstitui, atque ad illum strissimū Principē Ludouicū Comitem Palatinū, quod is Galliæ finitimus quū esset, in Galliā ab eius ditione receptus, minus habere videbatur periculi, quas a Rege meo & libēris eius habebā literas, adiecta illis mandatorū summa, per nuntium misi, enī xē orans, vt cum suis collegis, & cæteris item Imperii ordinibus, ad quos eius rei iudicaret notionem pertinere, cōmunicare de causa vellet, déque iustis illorum postulatis statuere. At is mihi per literas significauit, se ad serenissimum Regem Ferdinandum omnia missurum esse, per quem ad Cæsarem de iis referretur, qui se quemadmodū ea in causa debeat gerere, probè norit. Sed quid ego sapientissimi Principes, à Cæsare aut Ferdinādo sperrē, nisi vt mādata cū literis supprimāt? Alter enim, meorū Principum ornatus est spoliis, auctus patrimonio. Vterque dum id agunt, id cogitat, in eo laborant vt Regē apud omnes traducant, studiosissime (vt videtis) nequid ipse de iniuria deoneret, quod in eos traiiciat, itinerum obfessione curant: & hunc interim criminantur nunc Insubres sine iure repetere, per iniuriā prius occupasse, nec subire vilius vñquā iudicium voluisse: quū nihil horū sit ta-

men, contrà verò sint omnia. Nam in possessionē Insubriū, Ludouicum Regem, & hunc generum & propinquū eius, ex hæreditario, auito, & proauito (vt sic loquar) iure Maximilianus Cæsar re quæsita & deliberata misit, in fidēmque & clientelā Imperii more maiorum ac de procerum cōfilio accepit. Tum Rex meus, huius Imperii ordines, totius controuersiæ disceptatores non modo nunquam recusauit, sed vltro etiam ac sæpe depoposcit: tantum abest vt vel in hac, vel in Sabaudiensi causa (quæ aliter etiam vobis atque habet exposita est) cōflictari iudicio detrectauerit. His ego igitur tot ac tantis difficultatibus affectus, vt offensionem negligentia vitare tamen atque effugere possim, & pro eo officio, quod Christianissimo Regi meo, & serenissimis eius liberis debeo, illorum mandatis si nō plene, saltem aliqua ex parte satisfaciā, & aliquid certi atque testati referre ad illos possim, ecquod in æquitate vestra paratum habeant perfugium, ecce, Principes æquissimi, cōmuniter ad vos vniuersos has literas per proprium hunc tabellarium scribo, & priuatis singulos nominatim appello, vestrā omnium & singulorū fidem imploro. Respicite regni nostri, atque Regū eius cum hoc sacrosancto Imperio antiquissimā fœderis sanctitatem, & cū vestræ Germaniæ Principibus renouatae toties cognitionis, neque vñquā intermissæ amicitiæ necessitudinē. Cogitate qui sitis, quo loco, quod sit antiquæ

vestræ veræq; Germanicæ libertatis officiū. Expedi te quid vos dare huic Imperio, quid authorū eius memoria reddere, quid præstare reip. Christianæ debeat. Ne finite concuti ac debilitari præcipua eius capita, quorum ex amplitudine præsidia periculis, & adiumenta honoribus querere ac sperare potest: quorū maiores præceteris semper, res, corpora, vimque omnem suæ potestatis, in cōmoda eius & incrementa cōsumpserunt. Hoc enim vñ omniū maximopere vos oro & obsecro. Hæc est Regiorum ad vos mādatorum summa, vt omnia deponatis, si qua ex falsis auditionibus iam omnino concepitis præiudicia, vt à quo stant iura omnia, ad eum transfire opinionem iustitiae patiamini, vt in memoriam redeatis iuris eorum hæreditarii, iam inde à proavis atq; atavis certi ac testati, tamque luculento Maximiliani Cæsaris testimonio ac iudicio cōprobati, vt consyderetis cū animis vestris vosmetipsi, Maximilianū à Regis mei socero pro ea(quā vocant) inuestitura, supra cētena quinquagena nummūm aureorū milia extorsisse: neque ita multo pōst coacto exercitu, (atque iisdē fortasse diuisis in eum vsum pecuniis)eūdem ipsum exegisse: meum Regem ab eodem Maximiliano Mediolanī Ducē agnitū, quū iam multos annos receptum ab occupatore Principatū possedisset, à Carolo Cæ sare etiam indicta causa deturbatum: quum hoc tam iure & maiores vestri, & vos semper vñ fueri-

tis, vt Imperii vestri beneficiū ab altero in alterū trāssferendi ius & facultas in lege, nō in vlliis cōsistat volūtate atque audacia. Cuius legis, cum ve strum sit, æquissimi Principes, propriū ac peculia re iudiciū, constituite iam apud vos, quid sit vobis ad hæc serenissimorū Principum æquissima postula respondendū: qui vos orant, vt se quoque(ficut cæteros sacri huius Imperii Principes)dignos existimetis, quorum causam intelligere nō asper nemini. Mihi proculdubio, si vos esse, qui estis, recordamini, hoc est, Imperii Romani liberos ordines, & supremos eodem in Imperio cōtrouersiarum iudices, serio videtur à vobis vrgēdus Cæsar, vt senatū illis dari, vt parēre iudicato malit, quām vt in illa permaneat, quam nescio an satis digne iactet opinione, vt conferre vires suas omnes, & in Regem meum experiri malit, quām in Turcā ipsum, in Christiani sanguinis & nominis hostē hæreditarium: séque profiteatur dimoueri nulla re ab hac sentētia posse, quin omnia potius, atque suas ipsius omnes prouincias, quas à tergo relinqueret, expositū prædæ Turcicæ, quām à bello caput auersurum, semel in eū Regem cœpto: cuius à maioribus ea profecto accesserunt familiæ Austrianæ opum & facultatū incrementa, quibus maxime in hoc, quo nūc eam videtis eluctata est, culmē atq; fastigiū. Quod si maluerit in hac perseuerare volūtate, & in nostros fines(vt aperte mi

natur, & iam fortasse aggressus est) impressionē fecerit, nihil sanè Rex Christianissimus, aut liberi eius omissuri sunt, atq; Deo propitio iā ad omnia egregiè instructi sunt, quæ ad eum intrepidè excipiendū spectant, & curari debent à patriæ suæ atque ciuiū suorum amātibus ac vigilatibus patrōnis. Sed antequā tanta excitetur in rep. tēpestas, ex qua ipsi, quicquid C H R I S T O audiens est, ad exitiū & vastitatē vocari nō ignorāt, iam inde ab initio vt iniretur via, qua sanguini parceretur, aut aliquid saltē adhiberetur tēperamenti, hæc me apud vos cōmemorare voluerunt, vt intelligatis, si ad arma cum Cæsare veniant, nō suam eos voluntatē, sed tuendi se, atque iniuriæ propulsandæ necessitatem adduxisse. Quod quum præsenti mihi perficere non licuerit (multa enim frustra & apud multos sum expertus) ad extremū literarum subsīdio esse vtendum duxi, amplitudines vestras interim obsecrans, vt quid super hac æquissima Regis mei ac liberorum eius petitione statueritis, mihi per hunc nuntium rescribere ne grauemini.

Reuerēdissimi, illustrissimi, &c. Deus Opt. Max. easdem amplitudines & dignitates vestras tueatur & fortunet, atque in hoc graui & vrgēte negotio, verēque ad vniuersos pertinente, tā ea vobis inspirerit consilia, quæ vestri officii ratio postulat, quām quæ Christianæ rei exigit necessitas.

Christianissimi Re-

G I S E P I S T O L A A D E L E C T O rē Imperii, data mense Decembri. Anno Do. M. D. X X X V I. qua conuentum ad disceptādam de Mediolano controuersiam, & se aduersus maleuolorum calumnias purgandum, indici postulat.

F R A N C I S C V S Dei gratia Francorum Rex, &c. Reuerēdissimi atq; illustrissimi Principib; sacri Romani Imperii Electoribus, consanguineis, amicis, & fœderatis charissimis, s.



A T I S supérq; amplissimi Principes, amici veteres, fœderati, & cōfanguinei charissimi, intellexisse vos existimo, quibus, quoties, & quām inuidiosis criminibus, ex quo primum in fortunas meas hostiliter inuasit Cæsar, accersitus oppugnatūsq; fuerim. Quanta verò idipsum iniuria, vt iniquorum meorum refutatis calumniis aliquādo vobis constet, atque vt controuersas meas & liberoru[m] meorum causas vobis explicem, quarū est propria no-
lz.ii.

tio iudicij vestri, quēadmodū ego mea quidē interesse duco, ita vestri fortassis officii fuerit, senatū iis de rebus mihi dare: cum pro ea quæ vobiscum intercedit mihi antiqua, & quantum in me fuit, sancta semper amicitia: tum vt incōmodis occurratis in dies eo ex bello gliscētibus, quod earū occasione rerum subinde renouatū esse conspiciatis. Id quod ego sub initia renascētis huius belli, quā à vobis diligēter efflagitauerim (dolenter hoc, nō cōtumeliosè in yllum dicam) minorem mihi habuisse videmini, ac par erat, postulationis mēx rationem: vt qui nondum mihi tāto iam interuallo significaueritis, quid ab æquitate vestra ego ac liberi mei sperare debeamus perfugii atq; prāsidii. Eam ob rem vt ne temerē fortē, neque tam ex animo quām perfuntoriē postulasse id à vobis videamur, idem in präsentia ego etiā atque etiam eō quidē accuratius efflagito, quōd subinde atrocioribus affectus iniuriis atque indignitatibus, extare apud vos cupio (quicunque postea casus consequetur) & petitionum mearum & cōscientiæ testimoniū aliquod sempiternum. Enimuero nō ignoratis quemadmodum Cæsar, vbi me satis in inuidiā rapuisse sibi visus est, longa illa & intemperanti oratione, qua publicē Romæ apud summum Pontificē, & confessum patrum, corū in me culpam deriuare conatus est, quæ contra me ipse multa egerat: tum ad eam se accingens prādam,

quam opinione ac spe velut explorata deuorabat, improuisò, atque adeò cum de firmāda inter nos pace, conciliandāque sanctiore amicitia, cum Legatis meis trāsigere simulabat, instructissimis terra marique exercitibus, quadripartito me inuaserit: eo etiam animo & consilio, nunquam vt bello facturus finem esset, donec me, cæteris interim posthabitis cum priuatis tum publicis cōmodo-rum atque incommodorum cogitationibus, imperio, ac fortunis omnibus (vt publicē iactitabat) exiūset. Neque verò defuere, qui vt expeditius illi foret, hoc re ipsa prāstare, quod ipse iam ante Neapoli scriptum, meditatum, cogitatum attulerat, Romæ non iracundè minus quām insolenter effutierat, facinus ausi sunt, omnium post homines natos deterrium & crudelissimū, quod iam dimanasse ad aures vestras puto. Ego verò tractare nequeo sine refractione doloris, ex patrio sensu, & acerba recordatione miserabilis & indignissimæ necis natu maximi filii mei, cum quo quanta cōciderit huius florentissimi regni expectatio, non patitur moeror vt referam. Et sane id testificari possunt externi & domestici, quicunque egregiam adolescentis indolem recordantes, temperare ipsi lachrymis nō possunt. Huius ego nefandissimi sceleris, amplissimi Principes, nolim cuiusquam, nedum tāti Principis famam perstringere criminē, quod suspicionibus tantum & con-

iectura possit coargui. Verum ipse tam execrandi facinoris administer, cuius ex nominis recordatione totus horreo, Sebastianus Comes à Montecucullano, priuatim & publicè, etiam in ipso supplicii atque mortis articulo professus est, authores sibi fuisse patrandi huius atrocissimi sceleris, Antonium Læuam, & Ferdinandum Gouzagam, principes in exercitu Cæsariano viros, séque primum à Ferdinandō multis oneratum promissis, quò tollēdos viros aliquot primarios susciperet, ad Cæsarem esse introductū: à Cæsare multa interrogatum de mea cibi atque potus ratione, ad Antonium vt quæ ille imperaret exequeretur, esse missum. Antonium, vt me primum, & ex meis item aliquot veneno tolleret, hoc mandasse. Si hæc amici veteres, foederati, & consanguinei charissimi, tam atrox accepta iniuria digna vobis nō videtur, quæ hominem possit à vita suo statu deducere, quænam tandem esse digna possit, non vi deo. Tametsi ego quidem tantis affectus indignitatibus, maledictis & contumeliis laceffitus, petulantibus libellis (indignissimo Regibus exemplo) traductus, clientum meorum ad defectionem solicitatione oppugnatus, crudelissimo bello absque denuntiatione vexatus, talis filii crudeli & miserabili morte afflictus, cum me ad vlciscendas has iniurias efferret animi quidam dolor necessarius, occasionem afferrent Cæsariani exercitus, vbique

quæ posuerunt vestigia, mutilati & affecti: tamen vt sanguini Christiano parcerem, & quod authorem huius victoriae Deum dominum exercituum agnoscerem, quo nimirum vlciscente Cæsar ab audacissimo cœpto abstractus esset, potius quam humanarum virium auxilio, venienti ad me Legato Pontificis, de pace cum hoste denuo coagmentanda, lubens parui: etiam meas liberorumque meorum res interuersas eiusdem hostis beneficio accipere non recusavi. Contrà hostis ne fortuna quidem fractus minuit insolentiam, & Legati ad se Pontificii orationem, vt antea fecerat instructissimis & promittentibus sibi victoriam exercitibus, sic affectis & profligatis, contumaciter & superbè repudiauit, séque in Italiam recepit ardens & cumulatus ira, inueteratōque odio nostri, nihil quicquam nisi de pernicie nostra cogitans. Atque adeò sese de integro reparaturum vires minitur, & eam vlturum in me, de qua conqueritur, iniuriam: quæ à me profecto nulla (quod sciam) in eum est profecta, nisi hoc ascribere iniuriæ voluerit, quod me suprà quam voluerit aut sperauerit, eius obsistente conatibus, vel numine potius eius vlciscente contumaciā, effectū esse intelligit, vt inuestus in me iracūdus, quam fortius exequutus videatur. Quorsum hæc tandem omnis, dicetis, spectat oratio: nēpe vt quam obstinato cum hoste bellum habeam, intelligatis: & cū iam Iz.iii.

is mecum agat, non quām latē regnaturus, sed re-
gnaturūsne sim, eius etiam administrī an victu-
rūs, mirū vt ne vobis videatur, si me posthac mea
cautio adigat(vti adiget, si ab æquitate vestra ni-
hil impetrāuero) mihi ac rebus meis vt capiā vn-
decunque dabitur consilium: id quod mihi antea
quidē licuit semper, & nūc necesse est etiā, loqua-
tur licet in me hostis quicquid sibi libuerit . Ego
verò semper habiturus sum (quod habui adhuc)
præ oculis, tum vt ne vlo scelere me astringam,
tum vt cuiuscunque armis vtar, si erit necesse vti,
siue ad propulsandam iniuriam, siue ad res meas
& liberorum meorum repetendas:tamen iis qui-
bus sine nostra reprehensione non possint, ea ar-
ma ne noceant.

Reuerendissimi & illustrissimi Principes, amici
veteres, foederati & consanguinei charissimi. Deus
Optimus Maximus sacrofancum hoc vestrum Im-
periū vobis ac reipublicæ Christianæ tueatur, at-
que etiā augeat: & ea vobis inspiret consilia, quæ
postulare videbitur horum temporum occasio &
necessitas.

Expostulatoria Chri

STIANISSIMI REGIS EPISTOLÆ
la, de violato tabellario, ad amplissimū Cardi-
nalem Moguntinū:qua conuentus item ad dif-
ceptandam Mediolani controuersiam postula-
tur: tum alia quædam explicantur, ad retinēdæ
publicæ concordiæ rationem facientia.

FRANCISCVS Dei gratia Francorum Rex,
&c. Reuerēdissimo & illustrissimo principi Al-
berto, eadem gratia ecclesiæ Mogūtinæ Archi-
episcopo, sacri Ro. Imp. Electori, atque in Ger-
mania Cācellario summo, sacrosanctāque Ro-
manæ Ecclesiæ Cardinali dignissimo, &c. con-
sanguineo, amico, & foederato charissimo s.



lo responsum à vobis fuisse ad priores Gulielmi Bellaii Legati ad vos nostri literas: quibus videlicet vbi aditus è perueniēdi sibi cōperisset ipse omnes esse interclusos, postulata nostra detulisset, de priuatis illa quidē nostris rationibus, sed tamē ad officium propriè iudiciūmque vestrum, & publicorum auersionem incōmodorum(vt quæ maxime) pertinentibus. Interea verò dum me respon sionis expectatio vestræ suspensum ac sollicitū habet, ecce tibi nō admirationis nouæ tantūmodo, sed expostulationis quoque oblata causa est, & ea profecto non minima. Etenim quum iam tabellarium dimissem, tum mihi è Germania prior ille tabellarius, cui literas suas Bellaius ad vos perferendas crediderat, præsto fuit, à quo ego quū itineris sui rationem acciperē, variè profecto, & pro eo ac debui affectus sum. Initio enim quū ex eo audiebam fuisse à plerisque vestrū humaniter & acceptum & dimissum: rescriptsse item nōnullos ad Legati mei literas: quosdam promisisse paratas literas se ad redditum eius habituros: mirificè vt par erat, ea in me benevolentia significatione recreabar. verum vbi quam pro redditis literis ab illustrissimo Ioachimo Brandenburgensi Marchione, tui fratri filio accepisset iniuriā intellexi, tum verò hac contumelia grauissime non commoueri non potui. Eiusmodi enim ea fuit, nullam vt rem in hoc genere post hominū memoriam, insi-

gniorem aut indigniorem nō modò ad vos vñquam delatam, sed ne à quoquam quidem auditam esse arbitremur. Nam quid veteres illas com memorem Regum & populū expostulatas grauius inter se ac vindicatas acerbius iniurias? Ego enim adhuc nullam audire memini, quæ tam fine vlo exemplo quidem ea sit, magis tamen ad exemplum pertineat. Berlinum tabellarius cum literis Legati mei, & mandatis ad Marchionem venerat: tabellarius ille inquā Principis, nec id tātum, sed(vt mihi meo hoc iure dicere liceat) Christianissimi Galliarū Regis nūtius, credo & amicitiæ nostræ, & veteris societatis autoritatē aliquid valere alioqui debuisse. Sed vide, quām pro nihilo ea mihi omnia fuerint, quominus ab eo quidē (à quo minime debui) indignissime contemnerer ac violarer. Venit ad Marchionem cum literis ac mandatis nuntius meus. Marchionem, vt fit, honorifice salutauit. reddidit etiam quas ad eum habebat literas. accipitur sanè, quod ad speciē & simulationē attinet, non omnino inhumaniter. diuertit, nec id injussu Marchionis, in cauponā, vnde commodius posset, quandocunque libēret, accessiri. Nec erat quicquam quare secus suspicari posset is, quem consuetudo inter nos, ac fides tua, & libertas ad vtrosque vltro citróq; cōmeanandi, securum præstabat: ita vt nihil omnino dolii, nihil insidiarum vel periculi subesse videretur.

Atque nō multo post reuocatus ad arcis ipsius ingressum, humaniter in vaporarium est deductus, ibidēmque cum aulicis aliquot iussus discubere. Quò post paulo ingressi viri quinque primarii, ex quibus duos tantum se nosse dicit, alterū Marchionis magistrum equitum (Mareschallum vocant) alteri Eustathio Schlebello nomen esse: cæteros, quinā essent, ignorare. Eos inquit meus nūtius de suo primum, déque Legati mei toto itinere, atque vbinam ille tum ageret, & quo stipatorū numero iter faceret, ex se quæsiisse: deinde ad incutendum terrorem & trepidationem, minaciter esse percontatos, quonam ipse in loco, & quibuscum, cædem eam fecisset, cuius reus ageretur: postremo nunquid ex eorum esset incendiarius numerō, qui tum Germaniā nocturnis incendiis deuastarent & perderent. Cum negaret, ullius se homicidii aut incendii sibi consciū esse: se nuntiū nostrum affirmaret: eius mandati administrum, à quo cum nihil discessisset, nihil in quēquam hominum scienter fecisse, quod ab ullo reprehendi posse arbitraretur: tum ii nihil hac responſione facti æquiores, dum nuntium nostrum, ut latronis satellitem excutiunt, in eārum exemplaria literarum inciderunt, quas Legatus meus communiter ad vos dederat, & formis vt excuderentur ea tantum gratia curauerat, vt quām ego ad æquas me demissim conditiones, vniuersi per Germaniam

infellerent. Ea quidem exemplaria & aliquot præterea literas Legati mei, nondum iis ad quos mittebantur redditas, tum vnius atque alterius vestrum ad Legatum eundem meum epistolas tabellario nostro per summam contumeliam abstulerunt, subinde sciscitātes annon satis sciret quām inter me & Cæsarē bellè cōueniret: annon edicto publico Gallos omnes, & quicūq; Gallicæ ditionis essent, regionis illius aditu prohiberi: quæ tāta illi fuisset confidentia, vnde is contéptus esset, vt nō impetratis publicæ fidei literis eò per se venire ausus esset, vbi libellos dissiparet huiusmodi, quo uno facto incendiarius verè dici possit atque debeat: vtpote qui Cæsari, ac rebus eius plus inde incomodo atque periculi attulerit, quām si pagos duodecim igne immisso aliquādo cōsumpsisset. Quum iterū ille mādata patroni excusaret, cū nihil offensionis à se prudēte fuisse ostēderet, cum testaretur antiquissimā Imperii vestri, cum hoc regno meo societatē, quæ publicæ fidei literarū loco esse sibi debuisset, quo etiā nomine & abs te Marchionis patruo, & à cæteris quos ante adiisset principibus, & acceptus & dimissus fuisse humaniter, illi miserū hominē diuina humanaque iūra atque auxilia implorantē, onustū grauibus catenis, quas tum collo tū sinistro brachio inuolutas miserabili asperitu gestabat, spreta Dei religione, ac humana societate, gentiumq; omniū iure violato, in custodiā

crudelissime & inhumanissime coniecerunt. Habes hactenus quām honesta & iusta de causa nuntium meum foederatus & amicus in vinculis habuerit. Iam venio ad reliqua. Ibi cū ille toto dies quinque, grauiora morte supplicia expectasset, rursum iisdem ad eum ingressi, diligentius exquirunt, quidnam rerum toto itinere fecisset, dixisset, audiuisset: minati etiam, se de eo quæstionem habituros, nisi vltro confiteatur omnia. Addunt illum à patrono suo iis periculis fuisse de industria expositum, & Principes illos, qui se dixerant rescripturos, hoc ideo promisso, quod scirēt eum nunquā ad se reuersurum. Quibus ille minis tam præfens certumque sibi suppliciū capitū significari ac promitti intelligebat, vt ne nunc quidem dubitet eas poenas se daturū fuisse, nisi diuino potius beneficio quām humano subductus fuisse cōfilio. Quo in loco mira Marchionis in me iniquitas, & improbior quædam malevolentia & iniuria extitit. Nā cū miser ille forte fortuna elapsus esset è vinculis, ac tum fuga, tū latebris, sibi salutem quæsiisset: Marchio edicto suo, florenos quingētos præmium ei proposuit, qui ad se fugitiuum illum retraxisset incendiarium, (ita enim tabellarium ille designabat meum) quem rex Galliarum ad vastadum igne Germaniam summisisset, qui que magis artibus & præstigiis è carcere aufugisset. Dignumne per Deum immortalem edictum, quod

in Regem Galliarū, à Germano Principe, hoc est à foederato in foederatum nō temerè tantum, sed (nequid durius dicam) tam malignè emitteretur? Quid enim, patiensne, an dissolutus hoc in edicto videar, si æquo animo dispēdium hoc famæ, hāc atrocem iniuriā à Marchione illatā paterer? præsertim quum non modò nulla esset à me prouocatus iniuria, sed non obscura etiam mea in eum voluntate, officiis etiam meis vel in hoc ornatus, quod ego ad eū quoq; inter cæteros causam meā vltro detulisse. Ad quam tantam contumeliam & hoc quoq; accedere voluit, quod miser ille hoc edicto rusticorum obiectus est furori: qui cum iacturam (vt audio) magnam ab incendio fecerant, tum etiam præmio inuitabātur ad illius perniciē. Cuius si nihil innocētia commouebat Marchionem, nihil miserrimi hominis & peregrini apud exterorū solitudo, nihil afflīcti & planè perditū calamitas: an etiam illum nihil nostri nominis, nihil Imperii vestri maiestas, nihil nostræ societatis & amicitiæ reuerentia, nihil humanæ communitatū leges, nihil religionis ac pietatis obseruantia debuit commouere? Audiueram antea quidem apud vos agi & traduci à quibusdā honorem meū & opinionem in circulis & conuiuiis, quibūsque niterentur authoribus probè norā: iis scilicet quos sciebam ex cōscientia suorum in me factorum & cōfiliorū maledicta solitos depromere quæcun-

que ad me iniuria obruendū esse iudicabant ap-
positissima. Quorū ego procacitatē & petulantia
existimare non poteram vestros vñquā amplissi-
mos ordines esse laudatores habituram. Nec me
præteribat, quoties in Germaniam Legatos mitte-
bam , siue ad refutandas istorum in me calūnias,
siue ad alia quæcunque procuranda negotia , eos
passim intercludi, obseruari, obsideri. Verum hoc
ego totum istorū ascribebam improbitati & im-
potētiæ, qui conatu omni prouiderent, ne purgan-
di mei, & quod deonerarem de iniuria, in seipsoſ
traiciendi à quibus omnis staret iniuria, locus mi-
hi ac facultas superesset. Dimanarāt ad me item
& aliæ clientū aliquot meorū querimoniæ, qui se
dicerent aliena quædam à cōmodis suis in Ger-
mania esse passos. sed tum mihi persuadebā istos
eosdē(id quod erat) vt qui nollent intentatū ali-
quid relinquere, quo sperarent antiquā illam in-
ter nos cōsuetudinem aliquando posse dirimi, ad
vim etiā animos eo in primis cōfilio intendisse,
quod sperarēt nostris hominibus iniuriosè in Ger-
mania habitis, si(quod existimabant fore)ego pa-
ria vestratibus in hoc regno meo rependerē, tum
inter nos vt cōmitteremur futurum, & quos nul-
lis dum potuerant artibus disiungere , acerbitate
certe suppliciorū vt ab eadē inter nos beneuolen-
tia & coiunctione tandem auerterent. Postremo
& hoc etiam intelligebā , de quo ego sic vobiscū

expostulādum esse duco, vt quām ab æquitate ve-
stra sit, & à nostra illa coiunctione alienum, vos-
metipſos cogitare, próq; societatis inter nos & fœ-
deris ratione statuere maximopere cupiā & flagi-
tem. Intelligebam inquā nihil mitius hodie cum
vestratibus agi, qui mihi ad retinēda vel obtinēda
mea nomen daret, quām si vobis, Imperio vestro,
tēplis, delubris, calamitatē omnē & solitudinē attu-
lissent. Hæc tametsi omnia vt indigna erāt, ita mihi
videbantur, quod Rex amicus, quod socius, quod
in legitimo atque hæreditario regno, more maio-
rum cōstitutus, quod alieni nunquā appetens, quod
maiorum meorum in omnes officiis meis, etiā in
plurimos mihi viderer esse meo iure commenda-
bilis: tamē ea, quoad eius fieri poterat, sic ferebā mo-
deratē, nulla vt interim mihi oblata fit bene devo-
bis merendi occasio, in qua non experti sitis, sicuti
& in posterū(nisi vobis aliter videbitur) experiem-
ni, summā meam in cōmoda Imperii vestri cōmu-
nia diligentiam, in singulos ordines benignitatem,
in omnes homines beneuolentiam & fidem. Ego
enim meopte ingenio quām grauatē de amicis be-
ne mereri defino, tā inuitus male quicquā suspicari
de illis incipio. Atq; adeò iftas omnes iniurias nō
à vobis arbitrabar, aut ab ullo in quē statuendi ius-
effet vobis, sed ab istorū tantummodo aduersariis &
iniquis meis proficisci: At postremā hāc iniuriā tā-
tū abest vt eodē quo priores gradu ponā, vt ne dif-
l.i.

simulare quidē eam possim. In eo scilicet Imperio quicum semper amicē vixerim, quod quo sponte offenderem, ne minimum quidem vnquā in me fuit, quōdque à maioribus meis acceperit præcipua pacis ornamenta, & libertatis suæ in periculis præsidia tutissima. In eo inquā Imperio, & ab eo Principe ad quem ego Rex amicus & socius veluti ad arbitrū scripseram, idque de re vniuersorū etiā coniunctissima periculis, meum nuntiū ad eum ea de re missum infidiose capi, contumeliose haberi, vinciri, custodiri, veste, zona, pecuniis, armis, equo, sarcinis, meis ad Principes eiusdem Imperii, & Principum ad me literis spoliari: & quò mihi grauior in amico & socio Imperio conflaretur iniuria, pro summisso incendiario, atque à me subornato, capitali suppicio destinari, ad hunc præterea retrahendum, trucidādum, quem seruatum Diuina voluit benignitas, efferatū vulgus & persuasione iniuriæ, & præmio proposito inuitari, concitari? Ego præculdubio dum ille miser etiamtum iniuriæ illius ac violentiæ immanitatem pallore, macie, trepidatione præ se ferens, catenarumque adhuc impresa ostendens vestigia, flens apud me miserabiliter casum suum deploraret, cum hoc ipso commotus sum vehementer, tum edicto illo insolenti esse metam insigniter violatum grauissime doleo. Tuam verò, amplissime Princeps, hīc appello conscientiā & memoriam, ecquid aliud Legati mei ad vos li-

teræ, ecquid mandata nostra continebant, præter meam de iniuriis, deque itinerum obfessione iustissimam querimoniā, cum postulatione iuris mei coniunctam: idque præsertim apud eos, à quibus vt non postulassem, expectare tamen debueram? Marchionem porrò intelligo nunc quoque se hac vna ratione defendantem, quòd dispersa circū Germaniæ ciuitates earum literarum exemplaria plus Cæsari attulerint incommodi, quām si opulentissimi pagi duodecim incēdio illi periissent. Quodnam verò eiusmodi esse potest incommodum, nisi quòd iis literis aduersus maleuolorum & obtrectorum nostrorum calumnias, aliquando est defensa veritas? Sed hæc ratio non video quid habeat in quo possit cōsistere, nisi forte vnu hic fuit ab Imperio ad vos translato Cæsar, cui non modò iura Imperii omnia tradidisse Germania videatur: sed à cuius etiam præscripto nihil audeatis recedere, cuius vel iniuriis omnibus patrocinari vos oporteat: qui si cuiusvis existimationi notam inurat, siquem de possessione vi eiiciat, si clam, si dolo malo in alienæ rei possessionem obrepat, eam vos confessim esse eius propriam atque legitimam iubeatis: quicunque autem re aut verbo eidem restiterit, vel ad vos prouocari, quorum esse debet earum rerum peculiaris ac propria cognitio, hunc vos in hostium publicorum, hunc incendiariorum in numero habere cogamini. Neque enim

adduci possum, ut voluntate vos potius adductos, quam impotenti eius tyrānide adactos, hæc videre ac pati posse putem. Veruntamen si acceptā à maiori bus vestris libertatis, æquitatis, ac religionis gloriā retinere vultis, cur alios potius, quam vos ipsos respicitis? Cur non aliorum securi, vestri memores estis in æqui boniq; iudicio? aut si patimini æquo animo, diuina humanaque iura impunè violari, cur non libēter etiā de antiqua illa laudis possessio ne deceditis? An cū apud vos toties, nunquā tamē nisi iuste querar, nunquā animos vestros, nūquam aures æquas habeā? à plerisque repudier? senatum petens violer? cum hoste interim bellum habeam, qui omnes cum omnibus reconciliationes gratiarum in meam vnius ambiat perniciem? Cur non igitur mihi liceat iam tot annos, & has, & alias multas indignitates passo, contumeliis omnibus onerato, amicitiis, clientelis, contra foederum leges nudato, bello crudelissimo, absque denūtiatio ne vexato, Legatorum offensione, per eum etiam à quo ius expectari oportuit, violato, rarissima inde le filii, crudelissima & indignissima necati morte afflictio, veneno ipse quoque vt tollerer, appetito, à vobis denique neglecto, deserto, derelicto: cur nō li ceat, inquā, mihi ac rebus meis aliunde capere, vnde cunque dabitur consiliū? modò tamen vt quam ego mihi ac rebus meis adhibebo cautionē, ita eā adhibeam, vt si maledicta quidem nō potero, certe

crimen effugiā. Sed redeo ad postremā hāc, qua de nunc agitur, iniuriā: de qua prius quam ego apud istud amplissimum vestrū septemuirale collegium publicē cōqueror, mihi viſus sum facturus operæ pretium, si apud tuā familiariter amplitudinē expostulauero. Etenim cū tu primas isto in collegio feras, sis in Germania istius Imperii Cancellariorū summus, ingenii grauitate polleas, iis dotibus fueris in ordinem patrū ecclesiæ cooptatus, iis nominibus abhorrere omniū maxime debeas (vti mea quidem sententia facis) ab iis omnibus quæcunque vi ac iniuria tentari, agīve à quocunque cōtigerit: maxime verò eidem Marchioni cum sis patrius, à quo violari ius gētium, & quantum in eo fuit, disturbari vitæ societatē, molestè, vti par est, sis latrus, non dubito quin omnem sis operam, omnem curam, atque solicitudinē adhibiturus, vt ille iiii salutaribus tuis monitis acquiescēs, memoriam hu ius offendionis, cū animi æquioris, atque resipisciendi significatione, tum insigni aliquo deleat officio. Quod si pro ea, qua valere apud eum debes autho ritate perfeceris, proculdubio pro eius personæ quā sustines officio, pro mutua inter nos fide ac necessitudine, pro maiorū opinione nostrorū, pro Christiana pietate, pro communi omniū & in præsens & in futurum otio, pace, tranquillitate laudabiliter ac sancte feceris. Sūma igitur meæ apud te postulationis hæc erit, vt de Marchionis facto ita sta


tuas, meā vt dignitatem possim apud omnes integrum obtainere. deinde vt communicato cum amplissimis istis & prudentissimis tuis collegis consilio, illam seueritatem moderemini (nolo enim grauius quicquam dicere) qua in Germania passim (vt dicebam) animaduerti audio in vestrates omnes, quicunque mihi meruere milites. postremo vt iisdem istis de rebus, déq; eo quod sperari vultis, mihi ac liberis meis esse relictū in æquitate vestra, perfugio, dilucidè mihi, & significantibus verbis aliquando rescribatis. Ego sane nihil rerum omnium inter homines magis ex animo cupio, quam publicè ac priuatim sic inter nos conuenire, nō nihil vt potius ad amicitiā nostram cōiunctionēmque pristinam accedat, quam vel tantillum de ea decedat.

Reuerēdissime, illustrissime Princeps, cōsanguine, amice, atque foederate charissime, Deus Optimus Maximus amplitudinem tuam tueatur semper, atque etiam augeat.

Ad vniuersos Impē-

R I I R O M A N I O R D I N E S C H R I-
STIANISSIMI Regis de indicendo conuentu, deque
sibi oblatis per Solimanum Turcarum Regem
pacis conditionibus, Epistola:

F R A N C I S C U S Dei gratia Frācorū Rex, &c.
Reuerēdissimis, illustrissimis, generosis, inclytis &
spectabilibus sacri Rom. Imp. ordinibus, cōsan-
guineis, amicis, & foederatis charissimis s.



V V M per hoscedies cre-
bris amicorū ad me lite-
ris, mihi significatū fue-
rit, Cæsarem Carolū cer-
toshomines misisse, qui
à vobis auxilia peteret:
tum ad nostros aduer-
sus sacrum vestrū Im-
perium conatus (vt di-
cebat) reprimendos: tum vt Solimano Turcarum
Regi occurreret, quem aiebat etiam inuitatu atque
hortatu nostro exercitum in vos cōparare: visum
est mihi pro antiqua illa inter nos iā inde à prima
gētis vtriusque origine cōtracta cōiunctione & a-
amicitia, nō temere ferendū esse, vt inter vos inauspi-
cata hæc de mea erga vos omnes volūtate opinio
l.iii.

taciturnitate mea diutius senesceret: quin potius vestram duxi omnium & singulorum æquitatem, & prudentiam etiam atque etiam implorandam, ut ne cōtinuò fictis huiusmodi & commentitiis accusationibus aures vestræ pateat: quas accusationes nō modo me refutaturum, sed trajecturū etiam in eum ipsum accusatorē spero & confido: modo ut vos nihil grauemini, senatū iis de rebus mihi dare, quēadmodū ego id à vobis, & antehac saepe ac diligenter petii, & nunc denuo etiā atque etiā efflagito: tum vero officii vestri & quā sustinetis personæ ratio, mihi videtur, ut concedatis, exigere. Atque ut ad primū accusationis eius caput veniam, pratermissis iis omnibus quæ cōtra me Cæsar nulla fœderū habita ratione multa egit, & quæ tametsi quidem tuendæ nostræ integritatis ratio ut exponam hoc loco postulat, quia tamen nō flagitat, praterire malo. Ego, amplissimi ordines, quinā ii sint mei conatus quos apud vos Cæsar tantopere ut à commodis Imperii vestri alienos criminatur, quos publico Germaniæ consilio vindicandos quiritur, non video. Enimuero si poste aquiā omnes frustra suim aggressus retinēdæ atque stabiliendæ pacis inter nos & concordiæ rationes, ea tandem armis recuperare tentauero, quæ mihi per vim atque iniuriā ablata Cæsar retinet: vel si sanguinem vlcisci meū aliquando in animū induxero, quē vos quibus artibus, quāmque crudeliter & scelerate isti ap-

petierint, audiuitis: ego vero neque non recordari, neque recordari sine lachrymis vñquam possum: vel si bellum in Cæsarē hoc tēpore suscepero, quo is scilicet (postquā ab eius me insidiis liberauit Deus Opt. Max. causæ meæ complexus æquitatē & innocentiam) iactitare publice non erubescit, se nullius gentis aut hominis auxiliū aut fauorē aspernaturū, dum eam vlciscatur, quam in se queritur à me profectā esse iniuriā: an me ideo amplissimi ordines cōtinuò perduellionis reū esse, cōtinuò vestri Imperii hostē iudicabitis? Tametsi ego quidē huius de me querimoniae nullam agnosco omnino causam, nisi forte quod obuiā illi cum exercitu in me irruenti, supplex & reuinctis à tergo manibus, non prodierim, neque me ad eius pedes illico abiecerim, quēadmodum ipse sibi persuadebat fore: certe apud summum Pontificem, apud Cardinalium Ecclesiæ Romanæ sacrū ordinē, apud omnes omnium Principum, ciuitatum, populorum Legatos ita se facturum dictauerat, si se habere militē existimaret adeò & rudem & inexercitatū atque me iudicio quidem suo habere prædicabat. Verum ad rem ut redeam, ego, amplissimi ordines, etiā ut vindicaturus sim aliquādo tam atroces eas neque homini vel dissoluto ferendas iniurias, tantum abest tamen ut aduersus vestrū istud Imperium moliri ac tentare quicquam velim, ut econtrario nihil minus cupiā eius causa laborū suscipere, quām mai-

res olim mei suscepérunt, quāmque ego mē suscep-
turū antehac sāpe obtuli. Iam quod Cæsar addi-
disse fertur, Solimanum se hortatu atque impulsū
meo, ad inferendum Christianis atrox bellū accin-
gere: equidem de illius apparatu nō ita pridem ex
multorū ad me literis intellexi, in quibus erat etiā
adornare Solimanum eos exercitus quanta maxi-
ma vnquam fecisset cura, celeritate, diligētia, idque
vti vulgō ferebatur, ad vlciscendum id quod in A-
frica proximè dānum acceperat. Cur id autē existi-
mabitur meo fecisse vel hortatu, vel cōsilio, si quū
olim à Cæsare vocarer in eiusmodi suspicionē cri-
minis, &quē atque nunc etiā vocor, exitus adhuc fi-
dem fecit me fuisse purū planè atque innocentem?
Aduersus autem hunc tāti hostis apparatus, vt se
potius cōpararet Cæsar, quām vt bellū in me (quod
nunc omni conatu facit) de integrō instauraret, &
quū proculdubio vel hac vna ratione foret, quod
cum illi causam dedit arma in nos cōuertendi, dū
pro Rege Afro bellum intulit, tum verò id longe
audacius & maiore spe aggrediēdi occasionē vñus
affert, misera inter nos virium nostrarū accione,
ex hoc tumultu intestino: quem non minus obsti-
natē nunc tuetur, quām eiusdē prius voluntarius au-
thor fuit. Sed veretur, opinor, atque refugit leuitatis
& inconstantiaz sibi notā inurere, si cōtrā quām
se publicē testatū meminit, non omnia sūsque dé-
que ferat tum priuata sua, tū publica rei Christia-

næ incōmoda, potius quām vt caput sit vnquam à
suscepto semel in me bello auersurus. Quin & ple-
riique mihi nuntiant, etiā quidā à Constantinopoli
recētes (ego verò temerē vobis affirmare nō ausīm)
eundē ipsum vestrum Cæsarē hoc nūc vnum age-
re, hoc cogitare, in hoc laborare, vt quibus ego So-
limani eiusdem viribus & opibus, antehac mihi ne
cogitanti quidē oblatis, vti nolui, nō modō ad infe-
rendā, sed ne ad arcendā quidem iniuriā, illis ipse
inquam Cæsar viribus vltro & ambitiosē expetitis,
ad me vnum exercendū, diuexandum, conficien-
dum abutatur. Sane verò vtcūque se res habet, mi-
rē instat Solimanus, atque inter hos apparatus mi-
hi iam apertē denūtiat nullū se amplius dubitatio-
ni locum reliquum esse velle, quin apertē signifi-
cēm, pacatōne mē, an hoste vti sibi sperandū sit, in
re præsertim nihil ad me præcipue, nihil ad Chri-
stianorum commune pertinēte. Cogitate porrò
vosmetipsi cū animis vestris, amplissimi ordines,
consanguinei, amici, socii, atque foederati veteres,
quorsum tandem hæc mihi proponatur optionis
hoc maxime tēpore necessitas: quo ego scilicet in
extrema sum positus fortunarū omnium, ac vitæ,
salutisque nostræ dimicatione. Cogitate inquā ac
redite quās in memorīa eorū omnium, quæ tum
iis ipsis ad vos literis, tū aliis nō vnis, ad eos Prin-
cipes, ad quos designandi Cæsaris cura pertinet, cō-
memorāda duxi. Recordamini, me iam statim ab

initio, cum res adhuc in apparatu magis quam in administratione belli versaretur, Legatum ad eos misse cum madatis amplissimis, petitum atque oblatum Cæsari, iuris nostri ex moribus & ex epis disceptationem. qui cum ipsi hortari me ad id atque in primis vrgere debuerint, tamen postulata mea non repudiarunt modo, sed Legatos etiam & nuntios meos violari passi sunt: neque id tantummodo; sed accurrere suos clientes, & certatim ei nomina dare, qui me indicta causa, contraque ius & fas omne opprimendū, exigendumque regno suscepserat: neque id tantum etiam, sed in eos quoque animaduertere, quicunque mihi ad propulsandam iniuriam atque perniciē, adducti coniunctionis nostræ memoria meruissent: atque ita animaduerti, quasi Imperio illic vestro, aris, focus, templis periculū, vastitatē, solitudinē attulissent. Quæ cū ita omnia se habeant, quæso vos, si vt implacabili, si vt contumacissimo omnium hosti, facilius possim obsistere: si vt de altero sim fecurus, æque formidabili quidem ipso, sed neque adeò vel iniquo vel implacabili: si vt ne cū illo se coniungat iste (a quo intelligo non iam fortunas meas, vt antea, sed vitā hanc atque animam peti) cum illo ego pacē fecero: addite si placet, nulla interim eorū habita ratione, qui nullā ipsi periculorum, & incommodorū meorū habuerūt: quæso vos, inquam, ecquānam mihi assignari eo nomine culpa, vel cōfari iuste inuidia poterit: vel si po-

terit, annon illam iustus dolor excusabit atque diluet: Mihi verò, dilectissimi cōsanguinei, amici, socii, atque foederati veteres, cogitata diu ratione constitutum est, pertentare malle omnia, quam ut nostram antiquam illam coniunctionem non omnino retineam: aut si minus retinere possim, testafissimum certe non relinquam, omnē à vobis eius rei culpam, à me partem illius nullā extitisse. Vos itaque re integra cōmonefaciēdos esse duxi, quidnam ego in præsenti rerum mearū acerba ea quidem & anxia, sed inculpata difficultate, mihi capiendum esse consilii existimem. Cuius sane consilii, atque adeò cautionis, & vos quoque, nisi per vos steterit, participes fore velim & cōfido. Etenim ego ita omnino constitui, siquo Solimanus apparatu contendere dicitur, eo contendat: neque animal suum Cæsar ad clementiorem inclinauerit sententiam: cæteri verò Christianæ reipub. ordines incommodorū meorū interim spectatores, quidā etiam impulsores, authores, fabricatores esse persecuerauerint, quasi salus illius in mea vnius confistat pernicie, cuius in salute confistere potius bonā partem & salutis & ornamentorū illius existimo: ego inquā omnino ita constitui, cum eo me depacturum, si quas aliquando potui, etiamnum impetrare possim pacis aut induciarū cōditiones. Vestrum porrò erit de iis omnibus, si quidē ita placet, & videtur, mihi per literas respondere, atque volunt-


tem significare vestram, gratumne vobis futurum sit, si quanto vos huic incendio propinquiores video, propter loca quæda in limitibus vestris ab illo iam capta, tentem ego apud illum, vt ipsi quoque ad me iisdem pacis ac induciarum conditionibus adiungamini. Atque utinam cæteri omnes Christiani nominis ordines eo essent affectu, ea volūtate, ea denique propensione, & animorum inclinatione ad pacem, vt vnuſquisque rationi obedendum sibi duceret: atq; alter alteri vt ne nocere vellet, quò nos simul omnes, quicunque C H R I S T O eidem domino militamus, communi animorum cōfessione viam inueniremus, qua ille ab inuasione nostri deflecteret: atque in alienas à fide nostra gentes tantummodo, vires suas & instructissimum exercituum robur conuerteret.

Reuerēdiffissimi, illustrissimi, generosi ac spectabiles, cōsanguinei, amici & foederati charissimi, Deū immortalem enixè precor, vestrum vt Imperium vobis & reip. Christianæ perpetuò cōseruet ac tueatur. Lutetiæ, die x x i i. Ianuarii. M.D.X X X V I. ad calculum Gallicum.

Christianissimi Gal-

L I A R V M R E G I S, A D P R I N C I-
pes & alios Imperii ordines Vormaciæ conuen-
tum habētes epistola, qua senatum de Mediola-
nensi controuersia sibi dari postulat, & alia quæ-
dam super Solimani expeditione significat.

F R A N C I S C U S D E I G R A T I A F R A N-
corum Rex, &c. Vniuersis & singulis sacri Ro-
mani Imperii ordinibus, foederatis, sociis, & ami-
cis charissimis s.



V A N Q V A M E G O,
amplissimi ordines, ex
superioribus non pau-
cis meis ad vos literis,
quæ vt ad vos vniuer-
sos & singulos aliquan-
do peruenirēt, quoquo
modo potui, operā de-
di, cōstare omnibus ar-
bitror, nihil prorsus intentatū nos reliquisse, vnde
imminētibus ex renouato inter me ac Cæsarē bel-
lo, reip. incōmodis occurri posse sperauerim: Quia
tamen ex amicorū ad me literis conuentū à vobis
Vormaciæ Vangionū propediē esse habendū intel-
lexi: cōquiescendum adhuc mihi nō putauī, quin
eadem quoque ipsa repeterem, quæ prioribus illis

epistolis non postulauerā modò, sed enixè etiā flāgitauerā: nempe vt pro eo quē geritis magistratu, pro eo quod in cōmune Christianorum nomini, quod maiorū nostrorū inter nos cōmunium memoriæ, quod mutuis vicissim inter nos acceptis & collatis beneficiis debere videmini officio, conuentum tandem indicaretis, ad quē mihi Legatos actionum mearū omniū peritos libere ac tutò securōsque offensionis omnis mittere liceat: qui tam aduersariorum meorū refellere possint maledicta (si quod forte superest eiusmodi, cui virorū illustrium famam esse subiiciendā arbitremini) quam etiā nostræ liberorūmque nostrorū causæ rationes ad eas res cōfirmare, quibus rebus sub Imperii quidē vestri clientela positis, ad nos verò pertinētibus, nullo nostro merito sumus, nullo neq; more, neque exemplo spoliati: qui tamē quemadmodū earum rerum causa inter eiusdem Imperii vestri cliētes enimerari, dicique nō inglorium nobis esse ducimus, ita nos vobis neque incōmodo neque dedecori futuros arbitramur. Et Legatos quidem nostros, amplissimi ordines, quanquam accipere à me legationē vlla de re imperiis atque edictis prohibeamini, iam nūc tamē vestra nixus æquitate dimittere, nisi serius de indicto cōuentu vestro accepissem: quē fortassis, & vt ego existimo, eo animo, déque industria Cæsar improvisum & inexpectatū indici voluit, ne inductionis ad me perueniēte fama, causæ mihi

per Legatos eo in cōuentu exponendæ explicandæ que (vt quam in tenebris ipse versari, quam in luce malit) occasio daretur & facultas. Duo porro percrebusse iam video, & in ore atq; sermone omniū esse, de quibus referendū Cæsar esse dicit. ac de quibus à nōnullis consultus istius vestri ordinis nō infima authoritate viris, quidnā sibi ducerem esse respōdendū: quoniam ad me quoque, atque ad eā quā apud vos petitionē institui, pertinere puto, vīsum est nostri esse officii, nostram vt vobis iis de rebus sententiā aperirem. Conqueritur apud vos Cæsar de impensarum immanitate, quas gerēdo, vno eodēmque tēpore tot disiūctissimis in locis bello, sustinere cogitur: accederē ad id nouū à Solimano Turcarū Rege in Christianos omnes præcipueque in Germanos bellū, imparēmque ferendo ei oneri se testatur. Proinde cū pit vt interim Imperii vestri senatoribus salario, vt militi aduersus Solimani apparatus stipēdia, vestro ære persoluātur. Horum primū Imperii vestri senatum videlicet profitetur (vt est reuera) dirimendis clientū inter se controuersiis, iuri omnibus dicūdo, tuendæ proborū innocentia, cohimbendæ improborū audaciæ, præ cæteris rebus omnibus accōmodatissimū: atq; ob id multis ante seculis à priscis illis Imperatoribus sanctissime institutum. Alterū, vt Solimani occurratur conatibus, Christianis inquit in vniuersum omnibus,

m.i.

priuatim verò Imperio vestro , vt si vnquā alias; hoc tempore maximè necessarium. In vtroque, vt video, idem spectatur Cæsari scopus, idem finis : nimirū vt ad nūmos vestros celeriter perueniat. Ad vtrunque ita respondebo, viam vobis vt aperiā, qua impensis vt quām minimè grauemini, atque honoribus interim vestris & dignitatibus fru- amini sine periculo. Tametsi ego quidē nō ignoro ad Cæsarē debere hoc potius pertinere, vt quē existimem eò fuisse priscis illis Imperatoribus suf- fectum, vt qua illi olim, eadem nunc ipse solertia, cura, vigilantia ius vnicuique reddat, Imperiū- que vestrum nō tueatur modò, sed augeat etiam. Quò magis mirati subit, ampliss. ordines, audere Cæsarem ad vos scribere, sibi ad ius reddendum, ad tuendum Imperiū, hoc est ad officium propriè suum, pecunias deesse: quæ abundè tamen illi ad inferendam iniuriam, ad interuertendas Imperii opes suppeditant. Nam hoc bello, quod causatur, sicut iniusto illo quidem, ita voluntario(vt excusationē hanc prætexere nequeat) vtrunque per eū agi confirmare liquidò possum. Sed quum mearū quoque partium esseducā, & Imperio prodesse, cū ius me clientē agnosco Insubrium Principatus ergo, & auertere omnia quæ inimica esse videantur vestro nomini, atque dignitati : ego ad posterius hoc ita profiteor, quoniā aliquo suspicionis odo- re à quibusdam est deprehensum qui eius me rei

admonitum voluerunt, hāc à Cæsare denegatio- nem salariorū aliqua in causa esse, quominus ego qui sæpenumero conuentū indici, senatum mihi dari, exēplis ac moribus me deduci petierim, & eo tēpore quo Cæsar nobis in spem veræ pacis obti- nendæ ingressis, de integrō eam subuertit, & quo iam volente Deo, incitatos impetus eius retarda- ueram, adhuc tamē id impetrare potuerim, quod negari mihi certe sine summo Cæsarīs, sine famæ atque nominis vestri aliquo detimento non po- test : profiteor inquā me potius quām vt hæc ve- stro decōri denegatæ vel dilatæ iustitiæ nota insi- deat, vel de vestro salariū dare iudicibus cogami- ni, id me quandiu nostra causa senatus habebitur, déque nostra controuersia disceptabitur, suppedi- tare de meo velle:tātum vt disceptatore Imperii populiq; Romani Senatu (qui vspīamne sit haud satis scio)nō Caroli Cæsarīs redēptorum iudicū cōcilio decidatur. Tametsi ego quidē(vt planè lo- quar) nihilo leuioribus ad me defendendū, quām Cæsari ad me offendendū impensis opus esse mi- hi céso . Sed cum videam eò rem adductam esse (bonam in partem accipi hoc à vobis velim, quē- admodum dico animo amicissimo) non graua- bor, vt exemplum hoc in me Cæsar instituat, si- qui posthac(vestris Cæsaribus ærarium publicum ad opprimēdos eos exhauriētibus, quos tueri ma- gis deceat) ius ab Imperii Senatu postulaturi sint,

salaria iudicibus ut præbeant. Iam vt ad alterū petitionis Cæsareæ caput veniā: Ego, amplissimi ordines, quum viderē Cæsarē (qui occupasse adeo possessionē fortunæ sibi videatur) ardētē odio, atque in me plus quàm hostili animo, publicè testari ausūm, sua omnia prædæ Turcicæ permisſum, potius quàm vt bello in me abstineret (quod ipsum sanè aliud nihil erat, quàm Solimanū ad paratam & indefensam prædā inuitare) quum viderē Cæsarī orationi reliqua cōuenire, id pugnare illum scilicet, id agere, vt me (quātum esse in eo potuit) fortunis omnibus euerteret: ad apparatus Turcici famā, ad vtriusque Siciliæ trepidationē, ad populorū suorum diuina humanaque auxilia implorantiū obtestationem & obsecrationem, nihil vel parum cōmoueri: postremò cum viderem ita me à Solimano vrgeri, vt differre nō possem, quin vel illi pacatū me fore promittere, vel hostē ex professo experirer, quo pacato vti poteram, & quo vti erat necesse: adactus sum ea necessitate, quū iam vel minima dilatio tēporis plena esse periculi mei videretur, cum altero placabiliore scilicet hoste Solimano depacisci inducias, vt aduersus impotentē, implacabilem hostem Cæsarē facilius me tuerer ac defendere. Verum istas inducias tamen ea ratione sum depactus, vt quoad eius fieri potuit, nō vni mihi tantūmodo, quasi vestra cæterorū Christianorū pericula pro nihilo mihi ha-

benda esse ducerem, sed Christianis in vniuersum omnibus consulere prouideréque studuerim. Cuīus rei vos ego testes appellare possum, si quidem ad vniuersos meæ literæ peruererunt, quēadmodum eas proximo Ianuario mēse ad amplissimū Cardinalem Moguntinum, vt cum cæteris communicaret, dedi: ad quē eas peruenisse certò scio. Vt cunque est, etsi responsi nihil à vobis tulerim, Legatus tamen meus hāc ipsius Solimani vocem exceptit, nihil se, nisi prouocatus fuerit, Germaniæ nocitatum. Ac tum fortasse factu facile fuerat, vt vos mecum ad easdem pacis aut induciarum cōditiones adiungeremini, idque vt mihi relinqueretur integrum, quantum per obstinationem hostis importunissimi licuit, curauī atque prouidi. Porrò autem vestrum erit ea de re (dum est integrum) statuere, mēque, si vobis ita videbitur, consilii vestri atque volūtatis admonere. Vos me sanè ad eam rem (vt quam maxime omnium velim) interprete fidelissimo, sponsorēque officiosissimo vtemini: vt qui perfistere cupiam in illa ipsa eadem erga vos animi benevolentia, vobis meo iudicio nō incognita. Vicissim verò & hoc à vobis, amplissimi ordines, quod non semel antehac feci, diligenter etiam atque etiam postulo, & veluti meo quodam iure debitum efflagito, vt qui ē vestribus milites ad me tuendum, ad constitendum aut recuperādum fortunarum mearum sta-

tum, stipendia mihi fecerint, eo apud vos esse ve-
litis loco, quo ii esse debent, qui mutuæ originis,
societatis, necessitudinis, amicitiæ memores, de-
pellere vt decuit à cognatis, à sociis, à necessariis,
ab amicis iniuriam voluerunt. Tum pueri huius,
per quem vobis hæ reddentur literæ, tutum itum
& redditum, non à vestra ipsorum quidem (à qui-
bus ea timere nolo quæ ne barbaris quidē in men-
tem vt committant venire debeat) sed ab eorum
præstetis iniuria, quibus nihil esse sanctum expe-
rior, & fortasse non nemo vestrum intelligit.

Reuerendissimi, illustrissimi, inclyti, generosi,
splendidi, amplissimi, spectabiles, & prudentes a-
mici, socii, foederatique charissimi, Deum Optimum
Maximum veneror, vt quod isto conuentu
statueritis, decreueritis, fœelix, faustumque sit vo-
bis, cunctæ Germaniæ, Imperio vestro, & Christi-
anis in vniuersum omnibus. Medone, Parisiorum
agro, Pridie Cal. Aug. M. D. X X X V I I .

Christianissimi Re-

GIS AD IMPERII ORDINES
epistola, mense Februario data, Anno M. D.
X X X I I I , calumniarum in eum dissemina-
tarum refutatoria.

F R A N C I S C U S Dei gratia Francorum Rex,
&c. Reuerendiss. illustriss. inclyti, genero-
siss. splendidiss. amplissimis, spectabilibus, &
prudentibus sacri Romani Imperii Electori-
bus, Principibus, Comitibus, equitibus, ciui-
tatibus, ciuiumque magistratibus, ac cæteris
ordinibus, amicis, foederatis, & sociis charif-
simis s.



E L L E M , amplissimi
ordines, eam haberent
omnes illustri & excel-
so loco nati, veritatis
honestique rationem,
vt quum aliquem ne-
que verè, neque per se
ipsi honestè accusare
possunt, indignum sua
existimatione ducerent clām summissis calūnia-
toribus, falsos & commētios rumores dissipare:
profecto non inuenirentur, qui tam licenter apud
m. iiii.

vos in circulis omnibus & conuiuiis (vt nunc fieri audio) meo nomine abuteretur ad inuidiam. Qui si tamē rationis essent atque sensus vlliū particeps, plane inteligerent longe alia & maiore artificio fuisse in me instruēdam accusationem, & quæ similitudinem veri saltem aliquam p̄ae se ferret, si nos modò iactis inde discordiarum seminibus cōmittere, si cōmunis inter nos originis, si tot ac tantorum inuicem collatorum & acceptorum beneficiorum memoriā posse sperent aliquando cōuellere. Solimani Turcarum Regis & Christianæ religionis hostis Legatos, apud Christianissimum Galliarum Regem honorificè ac liberaliter aiunt excipi: Germanos ad eundē Regem aditu prohiberi: per huius aulam, per vicos & fora, per cōpita omnia, volitare homines cultu ac vestitu Turcico: Germanico incedere, flagitiī loco esse: Germanis omnibus, nullo discrimine. impingi violatae religionis crimē, vt huius obtentu capi, vapulare, cædi, & ad omne suppliciū rapi possint: plena esse in Galliis eiusdem gentis hominū ergastula, quibus spei nihil iam sit reliquū, nisi vt publico Germaniae consilio cōparetur ad eos vinculis eximēdos numerosus, idēmque instructissimus exercitus. Quænam ista (malūm) est hominum amētia & stupiditas? Si quū nihil habent quod in me possint verē iacere, neque apertē meam famam atque dignitatem apud vos oppugnare audent;

ob idque eam subuertere per cuniculos & fraude moliuntur, cur non fingunt aliquid ad eam rem vel aptius vel solidius? Cur in istis hærent male concinnatis & frigidis calumniis? Adeōne vos vecordes arbitrātur ac stupidos, vt temerē huiusmodi rumorū & concionum ventis agitemini: vt considerare p̄esiatis quid, in quē, à quo vobis proponatur: vt à suppositiis vera, à translatiis propria, tanto rerum vſu, prudentia prædicti secerere nequeatis: Proculdubio amici, socii, ac foederati veteres, si quid eorum criminum, quorū intentione ab istis ego vapulo, non est omnino commentitum: id isti calūniarum artifices ab iisdem ipsis, à quæs mihi subornati sunt, in me transtulerunt. cui sanè nō criminatio (eā enim ne texere quidē possunt) sed cōūitio potius atque petulātiæ, nō tam ad respondendū adducor, vt ne famā negligere, quæ ab istis apud vos, hoc est, ab impudētissimis & leuissimis hominibus, apud grauissimos & prudentissimos viros detrimentū accipere nequeat: quām ne hanc in eorum artificum autores aliquando recasuram inuidiā diutius velle videar alere silentio ac taciturnitate mea. Quos nimurum pro ea quæ cum illis mihi intercedit affinitate, prōque eius Imperii maiestate quod gerūt, honoris tantum atque amicitiæ gratia nominari à me posse velim. Id quod ego quum videam à me perfici nulla ratione posse, quod hæc in pri-

mis ad eos pertineat oratio: sic enitar tamen mo-
re ac modo respondere, vt si dicenda quædam mi-
hi erunt(vti erunt profecto)quæ sint eorum aures
offensura, per facile intellecturi sitis incidisse me
in ea potius,quam ex industria descendisse. Atque
hoc primū magnopere velim ex iis querere, quū
ad Turcarum Regem iidem ipsi abhinc annos a-
liquot iterum atque iterum Legatos miserint, &
ab eo viciissim acceperint,cum literis & mandatis
fortasse minus honorificis, idque incōsultis & in-
sciētibus iis, quos maxime cōsuli oportebat, quo-
rum scire quidnam rerum illi molirentur inter-
erat: cur id mihi de re omnium maxime ad vni-
uersorum decus, & singulorum quietem(vti sta-
tim audietis)pertinente non liceat? Egōne sic ad
eorum sim factus arbitrium, vt mittere ad nemini-
nem, à nemine accipere Legationem audeam, nisi
impertrata prius ab iis venia,vt Legatos quos om-
nia omnium gētium iura, vel ab hoste venientes
esse sacrosanctos volunt,ego pro illorum arbitrio
debeam violare Hostis autē appellatione Solima-
num vt censem(seposita interim religionis cau-
sa) vestræ quietis, amplissimi ordines, vna ratio,
meūmque in vos præcipuum studiū effecit: dum
eidem scilicet in vos armato,mei capitis & fortu-
narum periculo bellum indixi:dum accito in so-
cietatem eius belli serenissimo Britanniæ Rege,
quicum omnia soleo habere communia,ego me

in illum, si vñquam in vos bellum moliatur, duce-
fore & antesignanum recepi: dum equitum cata-
phractorum tria milia, peditum quinquaginta, at-
que ex eorū numero ad triginta Germanorū mi-
lia, per literas ad vos, ad Cæsarem, ad Pontificem,
ad vniuersos, quarum exemplaria etiā ad Solima-
nū ipsum perlata sint, authoraturū me sum pro-
fessus. Et interim tamen criminabantur isti, quasi
contulisset, atque adeò cōmunicasset ille mecum
sua consilia, imò quasi ego illum essem, vt in Ger-
maniā armis inuaderet, adhortatus. Hoc est scili-
cket, Solimanū in vos excitare, quod illi me ipse
atque meas opes omnes opponam, quod in illum
vos armare, quod alere meo sumptu nō recusem:
At is(inquiunt) Legationem ad me misit hoc tē-
pore. Misit sanē. Atqui si nos omnes fano vti con-
filio voluerimus, ab Opt. Max. Deo primū, de-
inde mea simul industria, simul in religionē exi-
mia pietate, factum esse intelligetis, vti ex cōmu-
ni piorum omniū vsu ac dignitate, quam chario-
rem semper habui meis omnibus cōmodis & ra-
tionibus, eam ad me Legationē miserit. Etenim
quam ii pacem ab eo tam indignis ambient le-
gibus, vt eius fieri vctigales nō erubescerent, quo
scilicet expeditionum eius securi, minore vsurpa-
rēt negotio affectatam in Christianos omnes ty-
rānidem: ego eam mihi ab Solimano vltro obla-
tam pacem, minime quidem reliquias conditio-

nibus: tamen constanter ac diu accepturū me per-
negaui, nisi pios cæteros eriperem mecum omnes
ab eiusdem hostis iniuria. Neque verò aliam ille
ob causam in mora est, quominus eam ab se pacē
impertrari quam primū finat, quām quōd istos in-
telligit monarchiā in nos haud obscurè, ac veluti
cērta prope modum spe cōplecti: quibus si res(dū
nobiscum ille pacem colet) ex animi sentētia suc-
cesserint, inuidiosa illi futura sit eorum potentia.
Quōd si bello inter nos cēsuerimus omnino ab-
stinendum, & quā iustē quisque potest, ea retine-
re tantummodo voluerit, nihil ille magis cupiat,
quām vt sibi liceat, omnis itē belli à nobis securō,
extra nostros fines adornare alios, aut persecui ar-
morū apparatus. Itaque in manu habemus no-
stra positum, vtrum sine cæde & sanguine poten-
tissimum hostem longissime à nobis cōtinere, an
vt priuatam vnius aut alterius alamus ambitionē,
cuius neque finem vllum prouidere, neque fidam
potentiā diutius sperare possumus, rem publicam
nostram incertissimis bellorum euētis, & ancipi-
ti vel post victoriā fortunā malimus exponere.
Quid cæteris esse optimū factu videatur, in me-
diū ipſi afferant. Ego quidem si quis vllam ho-
nestā pacis, vel induciarum duntaxat cum eo cō-
ditionem esse repudiādam censuerit, illum officii
sui parum esse memorem(nequid grauius dicam)
existimo: hoc præsertim difficillimo tēpore, quo

afflīcta bellis ciuibus, atque peruersis non paucis
in religionē inuectis opinionibus saucia respubli-
ca, nihil magis spectare videatur, quām vel tantil-
lum in secura pace laxamenti: dum seipsa reficiat
& recreet, dum coacto vniuersorū cōciliorū, statua-
mus in his pugnantiū inter se dogmatum flucti-
bus, quid dignitas ecclesiæ, quid temporum ratio,
quid suæ cuiusque in præfens salutis, & in futurū
quietis cura postulet. Atque vtinā numinis beni-
gnitate, superstitem annos aliquot adhuc habere
nobis licuisset Clementē V I I. Pont. Max. vidisse-
tis profectō, idque perbreui, nos iterum omnes in
vnum velut corpus coalescere. Intellexistis enim
propè omnes, certe multi ex Legato ad vos no-
stro, quid iam essemus ego & ille inter nos ea de-
re cōmentati, ac propè iam pacti: atque ne tūc in-
diceretur cōciliū, vnu hoc nobis impedimento
fuisse, quōd is Cæsari, eum se cōuentum in Italia
habitū receperat. Contrā, ego contendebā effi-
caciissimis, vt mihi videbar, rationibus, quū habe-
rent ipse ac Cæsar in Italia, nulli non formidolo-
sos exercitus, illos magis vt in decreta sua nos co-
gerent, quām adducerēt, eō nos quodāmodo velle
pertrahere, pro certo haberī oportere. Addebā(id
quod erat) tot initis à Cæsare foederibus, quo vi-
delicet me accessu Italiaz procul summoueret, ar-
matū citra rerum nouandarū suspicionem, iner-
mem citra periculum, cōmittere illis me locis nō

posse: atque adeò nō sublatis in ea belli atque dif-
fensionū causis, debere potius ad vestrā Germaniæ limites, quæ vix vlli Christianorū iniuriæ su-
specta sit, hoc tēpore indici concilium: cuius sanè
indictionē, sicut Christianæ reip. necessariā, modò
loco libero, neque conuenturis infido, ita diuerso
in loco, ne aliud oriatur ex alio dissidiū, metus &
periculi plenā esse iudicabam. Sed quod Clemēte
Pōtifice perficere nō licuit, faxit Deus Opt. Max.
Paulo tertio Pōtifice vt liceat. Is quantū intellexi
ex omnibus iis, quicunque bene cognitū hominē
habēt, semper ab omni dissensione inter pios ab-
horruit. In quo quidem Pontifice creādo sic fui-
re libera suffragia, sicest ab omni ambitu & largi-
tione, sic ab omni vi tēperatum, censuram nullius
synodi vt timere possit, quæ fortasse conscientia
quosdam superiores Pōtifices hoc infelici seculo
reuocare ab inductione concilii potuit. Et hæc sa-
nè constans de illius eximia virtute opinio, quod-
que nullarum esse partium diceretur, sic apud me
valuit, vt cum penes eos Cardinales, qui meā ha-
ctenus secuti sunt authoritatē, creandi quem vel-
lent, potestas esse, & eorum comitiorum cardo in
eorum verti calculis videretur: ego tamen nō vt
meæ gētis aut factionis hominē (quod facile qui-
dem factu erat, & nonnulli adhuc summa ope ac
studio perfecere) verūm vt hunc ipsum deligerēt,
omnis mihi adhibita est cura & diligētia. Quod-

que profiteri palām ausim, vt qui eius rei testes lo-
cupletissimos habeā, omnes omnium partiū Car-
dinales, vnū hoc in designationis eius gratiā im-
petrare volui, vti primo quoque tempore piorum
omnium concilium indiceret, opportuno omni-
bus atque tuto loco, vtque vnius Dei (quod feci-
se antehac semper dicitur) spectaret in primis de-
cūs, & cultū, sarcendāque & restituēdæ inter om-
nes concordiæ rationes. Habetis de Legatione
Turcica, in qua vobis exponenda, quum ego tam
appositè in hanc inciderim Christianorū concilii
& publicæ trāquillitatis mentionem, magnopere
vos etiā atque etiam rogo, cum vt vestros quisque
cōcionatores moneatis, vt quam de mitigādis iis
quæ circa religionem inoleuerunt cōtrouersiis, co-
gitationem & curam suscepereunt, eandē ne abii-
ciant: tum vt me certiore faciatis super hac indi-
cendi cōcilii ratione, quid perfici à me, quid apud
hūc Pontificē curari maxime cupiatis. Ego quic-
quid gratia apud eum valeo, & quantum ipse per
me possum, id omne ad hāc rem vnam perficien-
dam collaturus sum & cōsumpturus. Iam de ve-
stratiū cæde aut captiuitate (quod isti alterū ca-
put cōflandæ mihi inuidiæ constituunt) res om-
nis quomodo gesta, vndē collecti rumores, & ab
istis calūniæ ansa quæsita sit & arrepta, intelligite.
Superiore Autumno sub Legati mei à vobis redi-
tum, quū is ab iisdē vestris cōcionatorib⁹ quos-

dām velut ifagogicos libellos de sedandis iis con
trouersiis attulisset, & cur non spe imbuerer opti-
ma, initio nihil esset: ecce nobis dissensionū & mē-
daci parēs, veritatis & quietis hostis, quosdā exci-
tauit furiosos magis quām amētes, qui omnium
expetēdarum rerū subuersiōnē haud dubiē moli-
rētur ac tentarēt. Quorū ego paradoxa malo iis-
dē sepeliri tenebris, vnde subito emerſerāt, quām
apud vos, amplissimi ordines, hoc est, in orbis ter-
rarū luce memorari. Tantū hoc dico, si qui vñquā
inter vos eorū similes, aut longo etiā ab iis inter-
uallo superati extiterūt, abominati (vt debuistis) il-
los atque execrati estis omnes. Quæ nimirū cōta-
giosa pestis, atq; ad tēterrīmā spectās seditionē, ne
latius in Gallia serperet, omni solicitudine, indu-
stria, opera restiti. In cōscios omnes quicūque fue-
re deprehēsi, vti more maiorū ac legibus animad-
uerteretur effeci, nulli hominū generi parcens aut
nationi. Quòd si aliquis inter hos fuisset Germani-
ci sanguinis homo deprehēsus, certe in eū (pace
hoc esse dictū vestra velim) eadē oportuisset me
lege vti, qua nisi vicissim ego vt in meos vitaminī
concedā, si (quod nolim) vllū huiuscē genus piacu-
li apud vos aliquādo admiserint, indignus sim &
amicitiā vestra & Christianissimi Principis cognō-
mēto. Sed quod mihi periucundū accidit, nemo
vestri generis homo (vtinā nequē nostri) inter de-
prehēsos inuentus est, ad quē vel vlla suspicio, ne-

dūm affinitas huius culpā pertineret. Igitur (nisi
quod improbē isti videntur velle) hæretici omnes
pro Germanis habeantur, nemo vestratiū in Gal-
lia cæfus est, nemo ad vllum suppliciū raptus, ne-
mo (quod sciam) habetur in vinculis. Patet aula, pa-
tent fora, patent omnia denique loca Germanis in
Gallia omnibus. Germanici nominis aliquot Prin-
cipes, multi equites, scholaſtici cōplures, mercato-
res, & opifices quamplurimi inter nos tuti agunt:
quibus (vt absolua) in Gallia liberū est, quicquid
Gallis, quicquid ipsis meis liberis est liberum. Ego
verò amici, socii, ac foederati veteres satis credo vos
dudū illustribus argumentis perspexisse, quām in-
fidiosa sit, & quò tendat hæc in me perquam impu-
dens & cōmentitia criminatio, qua me deferri qui
volūt, proculdubio infensores mihi nō sunt quām
ipsis vobis, quām ipsi toti Germaniæ. Quādiu enim
hæc duratura est, Gallogermanorum & Germano-
gallorū inter nos (ita enim loqui placet) germani-
tas, infirmiores futuros sepe perspiciunt, quām vt si-
mul vtrisque possint opprimere. Sūt igitur in hoc
toti, vt collidi nos mutuo faciant, vtricunque parti
male cesserit, suam fore occasionē rati, quo inuali-
dioribus vtrisque effectis, in alterutros maiore cō-
pendio bellum capeſſant, & minore negotio con-
ficiant. Sed hæc inter nos amicitia (quod ponere
soleo inter Dei Optimi Maximi in vtranque gen-
tem, Gallicam dico & Germanicā, immortalia &

n.i.

maxima beneficia) hæc inquam amicitia quam isti adeo subuertere cōnituntur, longe firmioribus inititur radicibus, quam ut machinis huiusmodi conuellere eam possint, aut vos in amicum & socium Regem cōcitare, cuius nulla in vos nisi facta commemorari possit iniuria: imò verò qui maiorum suorum exemplo ornamento semper esse vobis studuerit, atque vñui: quémque nemo sit mortaliū, infirmū experturus vel hostem vel amicum.


Reuerendissimi, illustrissimi, inclyti, generosi, splendidi, amplissimi, spectabiles, & prudētes amici, fœderati ac socii, Deum Optimū Maximum deprecor, opes ac dignitates vestras vt tueatur, atque etiam augeat. Datum Lutetiae Parisiorum, Calend. Feb. Anno Do. M. D. X. X. I. I. I. I.

Ad Imperii ordines

DE INDICENDI COMMUNIS

Christianorum omnium concilii ratione, Christianissimi Regis epistola.

F R A N C I S C U S Dei gratia Frācorū Rex, &c.
Reuerendissimis, illustrissimis, inclyti, generosis,
splendidis, amplissimis, spectabilibus, & prudētibus
sacri Romani Imperii electoribus, Principibus,
equitibus, ciuitatibus, earumque magistratis,
ac cæteris vniuersis & singulis ordinibus, amicis,
fœderatis, & sociis charissimis, s.



V P E R I O R I B V S
ad vos literis, quum ad
quasdam responderem
passim apud vestrates in
me disseminatas calū-
nias, obiter vobis, amplissimi ordines, meum
super indicendo com-
muni Christianorū cō-
cilio, sensum, animum, & expectationem signi-
ficaui: id quod fortasse tum fecissem accuratius ac
diligentius, si vel leuem conjecturam habuissem
fore vñquam vt (quod postea & literis multorū &
sermone omnium ad me perlatum est) ista quo-
rūdam obtrectatione fugillarer: me scilicet ad eam
rem vltro sese accingenti Pontifici moram vnum
n.ii.

attulisse, atque etiā (si C H R I S T O placet) tā sanctā, piaque voluntati eius me intercessorē obtulisse. Ut nunc autē se res habēt, hoc est, quū iam dubitari apud omnes desiisse debeat quo ego sim in eādem rem animo, atque testes habeā locupletissimos, & grauissimos omnes omniū partiū Cardinales, nihil me ab ipso Pontifice cōtendisse obnixius atque efflagitasse, quām vt primo quoque tēpore omnes cōueniremus: nihil sanè hoc tempore optare potui accōmodatius, vel ad eorū, quibus solo vitæ meæ cursu offensis, quāuis semper visa est satis iusta mei criminādi causa, vobis prodendā audaciā & impo sturā, vel ad meā apud vos ipsos sartā tectā ab eo rūdem iniuria conseruandā dignitatē, quām vt ru mores de me sererēt huiusmodi, & sermones quos res ipsa confessim esse falsos quū arguat, nullā istis in posterū nō modò credulitatis & fidei, sed ne estimationis quidem partē relictura sit. id quod illis cōtigisse spero, atque planè cōfido. Sub id enim tēpus, quo ii ad me rumores sunt perlati, suspensum quidē & expectantē, quid Pōtifex statueret, & quē ipse locū indicēdo cōcilio capiendū designaret, cō modum aduenisse nūtiatur ab eodē ad me missus Rodolphus Pius Fauentia episcopus, singulari vir ingenio, iudicio, atque doctrina, cōmunicaturus videlicet mecum his ipsis de rebus, ad quas eundē ego Pontificē suapte incēsum natura, meis quotidianis precibus & flagitationibus inflāmaram. Quū igitur res per se satis ipsa loquatur, nihil posthac futu-

rū video, cur istorū ego animos, qui me tā graui ter suis maleuolētissimis obtrectationibus premere voluerūt, vel leuiter debeā, quāuis lacesitus repungere. Animi verò mei magnitudinē & in religionē studiū vt inflectā, nulla vnquā cuiusquā faciet iniuria, quin communi cōfilio (quoad eius fieri poterit) affecta reip. Christiana & afflictā remediū, atque opē præsentē vnā vobiscū afferamus. Facturos por rō nos operā pretium existimo, si (quod vestro fieri velim arbitratu) aut vos ad me, aut ego ad vos virū mittā rem totā edocū, vt facilius inter nos omniū cogitationū nostrarū rationies explicemus. Multa certe vobis & quod ad rem, & quod ad conuentus ipsius locū ac tēpus attinet, nō a quo modō animo, sed libentes etiā dabimus, quō certatim ad nostras inuicē voluntates (quantū nobis per Deū ipsum licebit) aggregemur. Pium verò interim apud me retinendū censui, dū certū nobis quid actū, quid cōstitutū à vobis fuerit, quid curari per me, quid perfici cupiatis, referatur. Dabitur autē semper omnis om nino à me opera, vt nec vniuersa respub. verē Christiani à me animum, nec vos, amici, defyderetis.

Reuerēdissimi, illustrissimi, inclyti, generosi, splē didi, amplissimi, spectabiles, & prudētes, amici, socii & foederati, charissimi, Deum Optimū Maximum deprecor, dignitates & amplitudines vestras vt tua tur, atque etiā augeat. Ex Laiano saltu, die x x v Februarii, M. D. X X X I I I I:

Christianiss. Regis

LITERAE DE RATIONE CONSTITUENDÆ INTER CHRISTIANOS OMNES ECCLESIASTICÆ CONCORDIÆ, AD IMPERII ORDINES ESLINGÆ CONVENTUM HABENTES.

FRANCISCVS Dei gratia Francorum Rex, &c. Vniuersis & singulis inclytæ Germaniæ ordinibus cōuentum ESLINGÆ nunc habentibus, amicis, sociis, & foederatis charissimis,

S.



VANTO PER E semper hactenus elaborauerimus, vt pro iis opinionibus quæ in Christiana ecclesia cōtrouerſæ factæ sunt, vnum in sensum ac decretum ad omnipotentis Dei cultum & gloriæ reducendis, celebrando vniuersorum concilio indiceretur locus ac tempus, nemini vestrū nō satis esse compertum existimo. Sed quū horū cōditione temporum viderē multorū promptā ad hoc volūtatem retardari, dum de loco ac tēpore idoneo nō planè constat, decreueram (& nunc totus in eo sum) Guilielmū Bellaiū consiliariū & cubiculariū nostrum


intimū istuc ad vos mittere, certas quasdā rationes executurum, à me pridem super hoc omnium inter mortales pulcherrimo sanctissimōque instituto iam initas, ac per eū vobis aut plerisque vestrum meo antea quidem iussu propositas, vt pro ea scilicet quæ Frācicæ meæ genti vetus cū vestra intercedit cōmunis originis & subinde renouatorū fœderum memoria, conuentū inter nos piorū & doctorum vtriusque gētis hominū ageremus, quæ veluti cōsultatio quādā esset rerū ad religionem pertinentiū, cuius interuentu scilicet ac diuinæ bonitatis auspicio, iam nunc etiā, ne hoc nobis tēpus frustra pereat, dū ecclesiæ iusta synodus rite cogitur ab omni recedētes controuersiarū inter nos opinionum contentionē, ad amicā veniamus earundē opinio-num pacificationē & concordiā. Quod ipsum vti-que si quibus expectamus à vobis cōditionibus, & vestra iam mitigata dogmata nos sperare iubent, aliquando tandem cōstiterit: nihil dubiè speramus quod inter nos ea in re cōstitutū fuerit, id cū à Sanctissimo Paulo tertio Pōtifice, tum à futura illa iusta synodo, laudatū omnino atque approbatū iri. Sed quum istius apud ESLINGAM vestri conuentus serò admodum ad me fama perlata sit, verendum mihi vt sit ne Legatus ad vos noster tempestiuus eō non perueniat: committere tamen nolui, quin his saltem meis literis, & per hunc expeditum curforem testatum hoc vobis facerem, simul omni ra-

n. iiiii.

tionē confirmarem, nullum esse nos vñquā vel laborem detrectaturos, vel sumptū recusaturos, quō eandem vñā omnes assequamur rectæ religionis atque vitæ rationem: simul nullā vos alia in re de nobis mereri posse melius, quām in eo quod hanc in rem præstiteritis officio ac studio prout fusius ex eodem nostro Legato intelligetis, cui nos hūc cursorem breui sequuturo nostram omnem super eo instituto mentem, animum, sensum, & cogitationem aperuimus, & cui vos tātundem habere fidei volumus iis omnibus in rebus quas meo nomine vobis expositurus est, quātum nobis præsentibus & rem vñā tractantibus haberetis. Quod reliquū est, amici, socii, ac foederati charissimi, Deū Optimum Maximum deprecamur, vt fortunas, dignitates, ornamentaque vestra omnia tueatur semper, atque etiam augeat. Ex Gynuilla Campaniæ Gallicæ oppido, die decimo Septembris. M. D. X X X V.

Legati Regii oratio

A D E O S I M P E R I I O R D I N E S
habita, qui conuentū Schmalcaldiæ habuerūt
mense Decembri. Anno M. D. X X X V.



EGATIONIS meæ testimoniū, illustrissimi & excellentissimi Principes, vósque cæterorū ordinum amplissimi & præstantissimi viri, habetis ex his quas affero à Christianissimo Galliarum Rege ad vos literis. Causas quæ omnino duæ sunt, si me, quod spero, & vos aliis cōuentibus adhuc fecistis, attente ac beneuole audieritis, fideliter ex eius verbis ac bre uiter expositurus sum: & earum quidē vna in eiusdem apud vos purgatione, altera in gratulatione versabitur, & commédatione sanctissimi vestri instituti, conuentusque huius quem ad constituerāt vñanimem inter vos, tam de religione, quām de tuenda vestra dignitate confessionem esse à vobis indictum intelligit. Priore dum probari vobis cupit sua omnia instituta & cōfilia, quāta & quām sancta sit apud eum vestra omnium existimatio, declarabit. Posteriore intelligetis, si eam quam er-

ga se adhuc habuistis, voluntate retinetis, eandem & se, quā erga Germanos omnes semper habuit, retinere velle, vt quam veluti per manus à maioribus suis sibi traditā acceperit: quorū ipsorum ductu ac virtute, Germaniā hāc vestram, domicilium atque sedem Imperii constitutam esse, vos ex annalibus vestris recordamini. Atque ad rem vt veniamus, Superiore hyeme, illustrissimi & amplissimi viri, Christianiss. Rex, cum in Germania plenissimi caluniæ rumores de se, verbo, scriptura dissiparentur, quibusdam authoribus, qui quoniā aliquem per se aditū ad aures vestras habere posse diffiderent, ideo credulitatem ambiebant ex elementis legationis titulo, respondere coactus est, diuisis passim & euulgatis literis, ne silentium eius iniqui rerum aestimatores conscientiæ assignarent. Et eae quidem literæ quum ad ipsum dimanassent (cuius isti abutebātur nomine) Augustissimum Cæsarem: nihil ille antiquius habuit quām vt illustrissimo & excellentissimo Principi, Palatino Comiti Friderico, vtriusque Bauariæ Duci, tum ex Hispania in Germaniam per Gallias properanti hoc mandaret, vti Regi suis verbis fidem faceret, atque prolixè confirmaret, nihil horum aut volente, aut laudante, aut sciente se vñquam in illum esse factum. Quod Cæsar de seipso & in istos luculentum adeò testimoniu quum abundē coarguat licentiosam & impudentem eorum audaciam & petulantiam, plane sperat & cō-

fudit Rex Christianissimus recentiores eorundem obtrectationes, quas denuo isti ad splendorem eius maculādum, ad vocandum eum in inuidiam adornarūt, fidem auribus vestris non fecisse. Quæ vt valeant quidem apud imperitorum aures, tamē ab ingeniis prudentiū, hoc est vestri similiū, refutandæ omnino sunt atque repudiandæ. Duo sunt autem quæ in eum isti cōstituunt, inuidiæ capita: alterum à religione, alterū à Legatorū ad vos missione deriuatur. Atque horum duorū prius illud, quo miscere cælū terræ conati sunt, hoc vno videtur niti, quod in suorum quosdam Rex animaduertendo, quos isti sentire vobiscum aiūt, inuidiosum de vobis præiudicium ferre, atque in eis causam vestram reprehensione tacita condemnare quodammodo videatur. His ego eos quidem commoueri pro sua intemperantia & stultitia nihil miror: vestram prudētiam eousque despexisse, vt vos secū sperauerint permouere posse, hoc demiror. nā vt doctrinæ vestræ Rex non faueat, nō ignoratis hoc illi esse cum plerisque aliis & Principibus & nationibus commune. Sunt profecto & in hac vestra Germania multi, qui à iudicio vestro partim magnopere abhorrent, partim nō omnino iisdē verbis ei subscribūt: atque inter vos ipsos qui eandem profitemini doctrinam, nō fuit semper idem omnium sensus. Quod autē iam in vñū coiiftis, hoc ipse Rex vobis, hoc boni & pii omnes gratulātur. Non estis porro

vos eiusmodi, neque præ vobis hoc vñquam tulistiſtis, vt omnibus velitis præſcribere, aut hoc vobis arrogare, vt volentes nolentes ad eam quam velitiſtis omnes religionem adigatis. Et fane de vobis ſolet ipſe amanter & perhumaniter loqui: agnoscit quædam à vobis eſſe ſanctiſſime declarata, ſed mođeratius quædam fieri voluiſſet. Videt plane atque perſpicit inter uallo temporū & humana imbecillitate, fortaffiſ & aliqua præfectorum eccleſia incuſria, vel ſuperſtitioſa præpoſteraque pietate (grauius enim loqui non placet) irrepuiſſe in eccleſiam inuitiles quædam, & antiquatione, vel moderatione dignas ceremonias. Siquis tamē omnes ideo ceremonias euertēdas putet, ſiquis iis omnibus pro vniuſcuiusque ſiue voluntate, ſiue opinione & clamore multitudiniſ imperitæ, ſine vlo publico vel decreto, vel confilio interdictum nobis iri velit, abhorre illum putat à maiorum cōceſſis, ſi dicere non libet institutis. Eſt & fuit ſemper (quod nobiſcū & vos agnoscitiſ) ceremoniarum traditio Christianæ comes & adminiſtra religionis. Quando enim ceremonia in eccleſia non fuere: quando reprehenſæ: quando non permiffæ: quando denique fuit, vt quod licet, temere damnantes, imò quæ ſi retenta non iuuant quidem, at non obſunt tamen, arbitra‐tu ſuo cōuellentes, atque ob id in pacata repub. tumultuantes, ſupplicio digni non haberentur: aut non comprimenda duceretur temeritas concitatæ

multitudiniſ, & occurrēdum perditionum audaciæ: Si vos autem ea prudentia, humanitate, clementia præditi, fortiter pro eo ac debuiftis, rusticorum ſceleri atque tumultui reſtitiftis, ſi vindicandam ana‐baptistarum insaniam iudicauiftis, ſi de vobis cogitari vultis vt ſine cauſa nihil facere velle videamini: cur non æquū eſt idem & vos de amico Rege co‐gitare: aut cur eum, quoties aliquid ſine vlla vobis cognita & aperta cauſa aliter egerit atq; vultis, ideo ſine cauſa id feciſſe cogitabitis? Proculdubio nesci‐tis, vt eſt in prouerbio, qua parte illi calceus pedem premat. Cogitare debebatis potius ab iiſ eſſe tenta‐tum aliquid, quare fuerit eorum cōſiliis, antequam latius malum ſerperet, occurrendum, & debilitan‐da illorū audacia. Egerit fortaffiſ cum bonorum aliquo dolore, & propter multorum delicta perue‐nerit etiam aliquando ad minus nocentum pericu‐la ſupplicium: verum, vt id fieret non cauſa ſolum, ſed & neceſſitas eſſe potuit, quæ quanta fuerit, aut quæ ſingulorum flagitiorū capita, nihil eſt hīc di‐cere neceſſarium. Quædam enim plerunque fiunt, quæ ne cum facta quidem fuerunt, ſciri ab om‐nibus expedit quare facta ita ſint: neque vobis igno‐tum eſt, quædam vno tempore vel diſſimulanda, vel admodum leui caſtigatione reprimenda eſſe, quæ alio eadem tempore nullo ſatiſ ſeuero ſuppli‐cio cohiberi poſſunt. Et prudenti Regi in tam late‐patente regno non quod agitur tantummodo vi‐

dendum est, verum & prouidendum quid postea futurum sit: & quod agitur, quò sit tandem, & quo cōsequentiæ periculo, erupturum. Hæc si vobis cum expendētes bene cognitum huius Regis ingenium habeatis, agnosceris hunc eūdem ipsum artes quidem lenitatis & misericordiæ ab ipsa fuisse natura edoctum: verum horum iniquitatem temporum seueritatis ei personam imposuisse, quam vt sustineret ad tempus, necessitate naturam vinci oportuit. De hoc enim sic habete, Siquis ei cum ratione quicquam profert, attente hic illū audit: iis succent, qui temere quicquam moliūtur, & ad eos non referunt, ad quos differendi atque definiēdi autoritas iure pertinet. Quare ad supplicium eo sciente qui sunt rapti, non (quod isti aiunt) sentiebant ii vobiscū, sed à vestra planè aberrabant sententia. Nam quæ ipsi statuistis aut fecistis, existimare vult Rex Christianis. ea vos omnia communi consilio fecisse atque statuisse: recte autē an secus feceritis, aut statueritis, nihil hīc à se vult videri præiudicatum: sed nequid sentiat quidem ipse, in mediū esse prolatum. Nam si magna esse res omnino videri debet, de rebus tam magnis dicere, multo omniū maximum esse censet de iis statuere: temerarium vero, se iudicem præ aliis constituere. Habet vtraque pars aliquid & quod probari & quod reprobari possit. Verū iidem si iudicet qui & differunt, etiam vt pii sint atque eruditi, euenire posse putat, vt si mi-

nus consilio, tamen casu lapsi falsum aliquando iudicent, & quod non eadem ratione statuitur, eodem esse iure debere nō existimat. Sed ego fortasse nimis multum de re minime dubia loquor, quasi vos aliquid in hac causa de se temere credidisse, aut imminutum de se vestrum iudicium suspicetur. Igitur venio ad aliud inuidiæ caput. Cauēdum esse vobis denuntiant sagaces isti patriæ consiliarii ab externis Regum & Principum legationibus, qui aliud in speciē agere simulent, aliud interim obscurē moliantur: & cum Legationem Gallicam non duxerint esse nominatim excludēdam, quòd hoc sibi inuidiosum fore arbitrati sunt, ita designarunt tamen homines ad suspicionem vitandam ingeniōsi, vt quod verbo non exprimunt, indicare dīgito videantur. Vos autem ego hīc appello, quicunque adestis illustrissimi, & amplissimi omnium ordinum viri, Quænam vñquam ad vos vniuersim, ad singulos priuatim, ab hoc Rege Legatio de re vlla profecta est, quæ non esset cum publico totius Germaniæ, sacrosanctiq; Imperii Romani vtilitate, dignitate, ornamēti cōiunctissima? Scio equidē de qua ipsi queri maximopere legatione soleāt. sed quū eius reprehēsio tam sit refutatu facilis, vt Cæfaris ipsius debilitetur, aut frāgatur potius testimoniō, qui literis suis vt ea fierent, quæ legatione illa quarebātur, interfuisse publicæ Germanorū pacis & otii testatus est: quidnā isti moliātur, aut quo hæc

animō dicant & faciant, vos pro vestra prudentia perspicere atque intelligere iam potestis. Ego fortasse, nisi iustis de causis statuisse h̄c mihi breuiter esse dicendum, ostenderem ad abalienandos à vobis socrorum Principum & populorum animos pertinere: docerē eos in re fortasse iudicio suo parua, meo autē magna, patientiam vestrā tentare voluisse: vt si hoc exemplū à vobis nō esse refutatum intelligent, progrediatur audacius ad cætera vestræ libertatis cōuellenda præsidia. Conuincerē ex hoc nihil aliud quæri, quam vt vobis nullū relinquantur ab exteris posthac societatibus præsidium contra improborū hominum audaciā, & maligna cōfilia: vtque ab amicis nudi & inopes, nullaque fœderū societate muniti, opportuniores eorū sitis iniuriæ. Deprehenderem istorū deploratam, amenantiam dicam, an impudentiam pari cum stupiditate coniunctā: qui vos adeò esse putēt rudes & ignaros rerum, adeò expertes ingenii & consilii, vt tutores vobis veluti pueris, vel vt mentis impotibus curatores dari oporteat: quasi discernere ipsi nequeatis, si à quoquā ad vos decernūtur legationes, accōmodatāne sint vobis atque vtiles: aut tā obliatos esse vos libertatis vestræ, cuius propugnatæ nominelōge cæteris nationibus antecellitis, vt hoc pro nihilo habeatis, quod in Germania isti regnū cōstuant, libertatē vestrā tollat. Etenim plane seruitus est, ab alterius nutu pendere, nec licere quem velis

admittere, aut quem nolis repudiare. Sed hæc vobis ostendere quæ sunt vobis perspicua, inutile cū sit & superuacaneū, hoc ego tantū breuiter h̄c attingā, nullius tātas opes atq; vires esse, vt sine mul torū amicitiis diutius stare possint: Legationibus verò & mutuis officiis retineri veteres amicitias, nouas allici, placari turbatas. Ad hæc vicinitatis & originis cōiunctione, & alterius alteri vtili auxilio, amicitiæ quū alligētur: vos nec habere hodie potestis, nec antehac vllū habuistis, in quē ista magis quām in Regē Galliarum cōueniant. Nā quis vñquam Germanici nominis dignitatē Gallis Regibus industrius, quis alacrius, quis felicius honestauit, amplificauit: Contrà, cuius vñquā nationis miles quām Germanicæ, paratior aut promptiōr fuit in discrimē se offerre pro Gallorū Regū statu, trāquillitate, pace, otio: quæ gens altera alteri vel sediū situ vicinior, vel generis, siue Gallū & Germanū, siue Francū & Alemanū spectes, origine cōiunctior: cuius alterius calamitas ab alterius magis calamitate pendet: quæ inuicē altera alteri nationes, maiore vel in pace ornamento, vel in bellis subsidio esse possunt: Itaq; cū intelligat Rex Christianissimus in cōcordia vestra & viriū vestrarum cōseruatione, suarū ipsius magnū firmamentum esse repositū, atq; ideo vtilitatibus vestris patere vicissim ipse velit, proculdubio quoties inter vos minus conuenire audit, nihil ducere prius solet (id

o.i.

quod eius plerisq; ad vos literis, & Legatorū eius sermonibus, & re ipsa, vti ego existimo, didicistis) quām vt suā ad vos vnā recōciliandoś interponat authoritatē, curā, operā, diligētiā, studiū. Atq; adeò cū iādiu intelligeret, circa religionē vos dissidere, ac piorū interim affligi cōsciētias, ancipiti cōtentione distractas, dum dubitāt quid fas, quid nefas, quid liceat, aut expediāt: maximopere semper est veritus ne dissimilitudo ista rituū & distractæ sententiæ disjunctionē etiā animorū, ea verò disiūctio dissensionē inter vos pareret, quæ vt tacitis initio cōtineretur discordiis, tamē erūperet tandem in domesticū aliquod bellū, in quo vincere quām vinci paulo minus esse duceret parti vīctrīci luctuosum. Sēd (quæ altera est Legationis meæ causa) postea quā Regi Christianissimo de hoc cōuenētu renūtiātū est, in eo vos statuisse inuicē vestrū studiū ad cōmunē retinēdā dignitatē profiteri, neq; si quis in religione sit disiūctus, cōiungi nihilominus amicitia velit, in animū vt repellatis induxisse: tū verò magnā in spē ingressus est, & quēadmodū cōfidit verissimā, optimū hoc iaci fundamētū ad dissensiōnū vias omnes intercludēdas, & cōstituendā inter vos cōcordiā, muniēdāq; prāfidia quietis & pacis vestræ: quinimo futurū, vt quos opinionū dissensio disiūxerat, cōsensus & societas conseruādā dignitatis ad opinionū etiā & doctrinarū cōcordiā reuocet & coniungat. Quo circa per literas à qui-

būsdam admonitus (qui aliqua sunt in hoc cōuenitu dignatione) viris, ad hāc vestrā animorū inductionē ex ipsius authoritate nōnihil accessionis fore, si Legationē ad vos eam in causam decerneret, ostenderētq; nō abhorrere à societatis eius vestræ (cuius nūc fatagitis) cōiunctione: neque illorū ipse defyderio nō satisfacere voluit, neque cōmittere, vt hoc vobis nō gratularetur sanctissimū institutum & consiliū. Quod ipsum quidē vt cæteri amplectātur inter se Christiani omnes, quēadmodū esse votis omnibus optandū existimat, ita quū videat infelicia hāc tēpora morā afferre quominus in præsentia id perfici posse speret, dissidētibus inter se Christianis Principibū & populis: dū qui locus indicēdo cōmuni piorum omniū cōcilio, hoc maxime (si alio vñquā) tēpore necessario, vnis & alteris arrideat, aliis ad hūc peruenire tutis, subsistere securis: & quod esse præcipuū videtur ad res ritē cōstituēdas fundamētū, sententiā liberē dicere nō liceat: Eam ob rē è totius Germaniæ cōmodo fore dicit, atque ad perficiēdi facilitatē pertinere, cōuentum vt Germani omnes inter vos interim ipsi habeatis, in quo in vnā omnes studeatis cōuenire sententiā: id quod facile quidē factu erit, siquæ quisque proposuerit, quū à diuersæ partis rationibus esse falsa cōuincātur, aut aliquāto minus rectæ cæterorū opinioni accōmodata, sequatur is alterius sententiā, & mutet cōsiliū: neq; à sua quisq; digno. ii.

tate vel cōstatia esse alienū putet, aliquid alteri cōdonare, potius quām obstinatione etiā rectæ sententiæ dissensionē hāc alere. Ad hoc illustrissimi Principes & amplissimi viri, sanctissimū & pulcherri mū opus si (quēadmodū Rex Christianissimus intelligit) accingimini: id quod maximopere ad publicā Germaniæ pacē retinendā, atq; adeò vestræ nationis cōseruādā amplitudinē pertinere putat, ipsum vos ad eā rē sociū fidelissimū, adiutorē fortissimū experiemini. Ipse etiā Paulus tertius summus Pōtifex sāpe ab eo per nūtios ea de re interpellatus, inficiādo non est nō eandē semper ab iisdē humanarū traditionū esse retinēdam rationē, sed quācunq; tēporū inclinatio & publicæ quietis usus postulare videbitur. Ipse idem, modò rite omnia atq; ordine fiāt, multa se professus est tēporibus, multa cōmuni concordiæ permisurum. De se autē Rex Christianissimus vobis & Germanico nomini spōdet, quicquid vobis æquū est polliceri, id se omni cura, studio, opera gnauiter esse præstaturū. Quod si vobis ex vīsu fore videbitur ad decidi das cōtrouersias, vt suffragia quoque nostratiū accedant, siue vobis selectos ex vestratibus doctos aliquot & pios viros mittere placuerit, siue ad vos vt ex suis mittat malueritis, habituros eū vos paratū & alacrē, & qui vobis penè sit in hoc omniū sanctissimo instituto præcursurus. Interim vos adhortari atque admonere nō desistit, quā inter vos

societatē inibitis, eā vt colatis omnes sanctissime, memineritisque munimēta hāc mutuæ inter vos defensionis, vincula esse pacis externæ, quod qui singulos quidē aggredi, idem etiā faceſſere vniuersi negotiū fortasse nō audeat. Et ne incertis significationibus testatā vobis Rex faciat suam adiuvandi huius cōſiliī voluntatē, hoc vobis ego eius verbis palām ac dilucidē polliceor, atq; omni ratione cōfirmo, nulli eū vestræ societatis, aut vestrū vlli priuatim hosti, ope, auxilio, fauore, consilio esse affuturū: modò vt fecistiſ adhuc, parē à vobis in ſe respectare veftri animi voluntatem iubeatis. Quā inuicē vobis inter vos vltro delatā amicitiæ confirmationē, ſicut ſibi ipſi, ita & fereniffimo Britaniæ regi Hērico, quicū habere omnia folet bello & pace cōmunia, iisdē legibus vt impetrarē, mā dauerat. Sed quū eius adſint Oratores, ego æquū esse vt hac illis cedā prouincia, existimo. Carolū verò Gheldriæ Duce, Regis item mei necessariū, foederatū, & ſocium, ſi à vobis eadē vt amplectamini amicitia impetrauero, rem omniū ipſi Regi gratiſſimam feceritis, ac pariter vtrūque ſemper ab omnibus inimicorum vefrorum cōſiliis alieniſſimum, amicorum amicifſimum habebitis.

E X C V D E B A T R O B . S T E P H A N V S
P A R I S I I S , A N N . M . D . X X X V I I .
C A L E N D . S E P T E M .

o.iii.

Francoys par la grace

DE DIEV ROY DE FRANCE, AV PREVOST DE
Paris, Bailly de Rouen, Doreleans, de Touraine, Senechal de Lyon, &c a tous noz
autres iusticiers & officiers, ou a leurs licetenans Salut.

RECEVONS lhumble supplication de Robert Estienne imprimeur demeurant
a Paris, cointenant que depuis peu de temps en ce, il a eu par les mains de lung de
noz seruiteurs ung Recueil, qui a este fait de plusieurs lettres escriptes tant par nous,
que par aucuns noz seruiteurs & bienmeillars, par lesquelles sont cointees les calu-
nies qui par noz ennemis ont este semees contre uerite, & pour denigrer nostre hon-
neur. Et y sot declarez les debuoirs esquelz nous sommes mys tant pour avoir que pour
entretenir la paix entre Lepereur & nous, noz royaumes, pays, terres & subiectz.
Aussi pour mettre bon accord & uniō en nostre mere sainte esglise. Lequel Recueil
& livre quil a mostré a plusieurs personnages de grād scauoir, Joyaulte, uertuz &
literature, il feroit uoluntiers imprimer : affin que la uerite des choses ne puisse estre
caluniee, mais uenir a parfaictē cōgnoscance. Nous hblement requerant luy per-
mettre faire la dictē impression : & sur ce, luy impartir nostre grace. Pour ce est il
que nous ces choses cōsyderes, & qui desyros especiallement que cōme dict est, chascz
soit sur ce deuement informé, & que la uerite ne soit caluniee, Inclinans a la suppli-
cation & requeste dudit suppliat: luy auons permis & octroyé, octroyos & permettons
par ces presentes quil puisse imprimer & faire imprimer ledict livre, & les li-
ures par luy imprimez, uédre ou faire uédre par tout nostre royaume, pays, terres
& seigneuries, sas ce que autre que luy, ou eulx qui auront charge de luy, le puissent
imprimer, ne faire uédre, ne distribuer iusques au tēps & termes de six ans, a cōpter
du iour & date de cesdictes presentes. Si nous mādons & cōmettons par cesdictes
presentes, & a chascun de nous en droit soy, que de nostre presente grace & permis-
sion nous faictes, souffrez & laissez ledict suppliant, & eulx qui auront charge de
luy, ionyr & user plenamēt & paisiblement, sans leur mettre, ou dōner, ne souffrir
estre fait, mys, ou dōné aucun destourbier ou empeschement au contraire. Lequel si
faict, mys, ou dōné leur estoit: le reparer, ou faictes reparer incontinent & sans de-
lay: en faisant, ou faisant faire expressamēt inhibitiōs & defenses de par nous sur
certaines & grād peines a nous a appliquer, a tous libraires & autres personnes
quelcōques de non imprimer, uédre ne distribuer ledict livre, ledict temps durant,
sans le conge, licēe & permission dudit suppliat. Et ce sur grand peines a nous a
appliquer, & de perdition & cōfiscation desdictz livres, si aucuns estoient par eux
imprimer contre & au prindice de ladictē prohibition. Car ainsi nous plait il estre
faict. Mandons & cōmandons a tous noz iusticiers, officiers, & subiectz que a le-
xecution de cesdictes presentes soit obey. Donné a Paris, le septiesme iour Daoult,
L'an mil cinq cent trente & sept, & de nostre regne le uingt & troisiēme.

Ainsi signe Des Landes. Seellé a simple queue de cire jaune.

ERRATA SIC CORRIGO.

- Pagina 121, versu 13, pro me, lege, nēque adeo
- Ibidem, versu 15, pro permanere. Ego, lege permanere: ego
- Pagina 123, versu 14, lege, vt ego
- Pag. 129, versu 10. & 15, lege, redditurum, pro traditurum.
- Pag. 130, versu 25, lege, sim. Imo verò quo
- Pag. 132, versu 13, lege, quum ego quoque
- Pag. 135, versu 10, lege, demiserim
- Pag. 140, versu 14, lege, quum diuina
- Pag. 154, versu 18, lege, audiebam se fuisse
- Ibidem, versu vltimo, lege, insigniorum
- Pag. 165, versu 20, lege, Quod